



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Via Trium Dierum In Solitudinem Ad Sacrificandum
Domino Exod. 8. Seu Triduana Ven. Cleri Solitudo Et
Animi Collectio Deo Sacra Duce S. P. Ignatio Loyola,
Societatis Jesu Fundatore**


Zech, Michael


Ingolstadii ; Monachii ; Aug. Vindel., 1762

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60697)

13

L. III. 31. Th. 4523.





VIA TRIUM DIERUM

IN
SOLITUDINEM

Ad
SACRIFICANDUM DOMINO

Exod. 8.

SEU
TRIDUANA VEN. CLERI
SOLITUDO

ET
ANIMI COLLECTIO
DEO SACRA

DUCE

S. P. IGNATIO
LOYOLA

Societatis JESU Fundatore:

Colleg. COMITE S. S. Badz 17/18

P. MICHAELE ZECH

Ejusdem Societatis Sacerdote.

Cum Privilegio Cesareo & Facultate Superiorum.

INGOLSTADII, & MONACHII

Sumptibus Joan. Franc. Xav. Crätz Bibliopolæ
Academici, & Thomæ Summer Aug. Vindel.

Anno. MDCCLXII.

Redi ad cor tuum, & diligenter discute te ipsum. Considera: Unde venis? --- Quo tendis? -- Quomodo vivis? -- Quid agis? -- Quid omittis? -- Quantum quotidie proficis? -- Quantum deficis? --

S. Bern. de inter, dom. c. 14.



MATHIAS STÖTTLINGER
Societatis JESU per Germaniam
superiorem Præpositus Provincialis.

CUm D. Joannes Franciscus
Xaverius Grätz, Bibliopo-
la Ingolstadiensis, & D. Tho-
mas Summer, Bibliopola Au-
gustanus, typis vulgare desi-
derent Librum, cui titulus,
*Via trium dierum in solitudinem
ad sacrificandum Domino &c.* a
P. Michaelē Zech, Societatis
JESU Sacerdote, idiomate la-
tino conscriptum, ego Ma-
thias Stöttlinger, ejusdem So-
cietatis per Germaniam Supe-
riorem Præpositus Provincia-
lis,

lis, potestate ad id mihi facta
ab A. R. P. N. Laurentio Ricci,
universæ Societatis Jesu Præ-
posito Generali, lisdem ad
hanc primam duntaxat dicti
Libri editionem facultatem
impertio; simulque commu-
rico Privilegium Cæsareum,
quo Bibliopolis, atque Typo-
graphis omnibus interdicitur,
ne Librum illum, aliumve a
Nostris scriptum, citra con-
sensum Superiorum recudere,
aut intra fines Sacri Romani
Imperii inferre præsumant. In
cujus rei fidem has Eis manu
propria subscriptas, & consue-
to Officii mei Sigillo munitas
dedi. Augustæ Vindel. 12. A-
pril. 1762.

(L.S.)

MATHIAS STÖTTLINGER;



APOSTROPHE
AD
VEN. CLERUM
SALVETE,

*Viri Venerabiles , Sacerdotes
Dei : Columnæ Templi , Re-
ctores terræ : Angelorum Ci-
ves , Patriarcharum Cogna-
ti , Prophetarum Filii , Apo-
stolorum Successores , Filii
excelsi omnes. - - Salvete !*

ITa cum S. Augustino vos com-
pello , Ven. Domini , qui ut S.
Patrem meum Ignatium in SS.
Exercitiis Ducem ultro venerami-
ni,

2 ❀ (o) ❀
ni, * ita me (confido) gratiose ad-
mittetis in *via comitem ad Sacram*
trium dierum Solitudinem, ubi *Deus*
ad cor vestrum loquetur, ** & qui-
dem *per me loqui dignabitur*.

Ergo *audite me* (loquor cum Di-
vo Ambrosio) *** *audite me*, Be-
atissimi Patres, & si dignum ducitis,
sanctissimi Fratres: *audite me*, ut, cum
honoris prerogativa vobis monstratur,
merita etiam congrua requiramus.

Audite me vero cum debita ani-
mi dispositione: videlicet

I. *Eo fine*, ut hoc triduo vobis-
cum discutiatis, quales hucusque
in vita & moribus vestris fueritis,
esse debuissetis, imposterum esse
debeatis. *Redi*, in clamat singulis
S. Bernardus, *redi ad cor tuum*, &
diligenter discute te ipsum. *Considera:*
Unde venis? -- Quo tendis? -- Quo-
modo vivis? -- Quid agis? -- Quid
omittis? -- Quantum quotidie proficis? --
Quantum deficis? & quare?

II.

* Serm. 36. ad Frat. in Erem. ** Ose 2.
*** De dignitat. Sacerd.

II. *Eo animo*, qui Deo placet : scl. liberali, & ad omne Dei placitum promptissimo, dicentes cum Samuele : *Loquere, Domine, quia audit, Servus tuus.* *

III. *Eo modo*, quo hanc Recollectionem peracturi essetis, si post eam certo vobis moriendum foret. Et sane *nescitis diem, neque horam.* **

IV. *Ea resolutione*, & inviolabili quivis lege : *Volo salvare animam - meam - unicam - pretiosissimam - immortalam;* quid enim prodest homini, (imo quid non obest?) *si mundum universum lacretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* *** Quid prodest?

V. Audite me tandem cum hac firmissima, simul & verissima animi *persuasione*, omnibus, plane omnibus subinde *necessariam* esse aliquam animi *Recollectionem*, seu, quod prorsus idem est, *vitæ Reformationem* : vitæ scl. *bonæ* in meliorem

A 3 juxta

* I. Reg. 3. ** Matth. 25. *** Matth. 16.

juxta illud : *Qui sanctus est , sanctificetur adhuc : * male in bonam , tepide in ferventem , incaute vero in magis providam ; periclitatur enim , (nota est S. Bernardi , & digna Bernardo sententia) Sacerdotis castitas in deliciis , humilitas in honoribus , pietas in negotiis , veritas in multiloquiis , & charitas in hoc nequam seculo . ***

Et en ex solis hisce Bernardi verbis necessitatem triduanæ saltem Recollectionis. Saltem triduanæ , inquam , cum quia per 8. continuos dies id præstare nec omnibus placet , neque vacat : tum , & præcipue ob latens in triduo Mysterium , quia , ut notat Ven. Beda , *** multis scripturæ locis per 3. dies Mysterium Trinitatis ostenditur , præcipue quia dominus tertia die resurrexit a mortuis : populus tertia die in monte Sinai Legem accepit , & Jordanem tertia die transiit &c.

Porro

* Apoc. 22. ** De Convers. ad Cler. c. 30. *** Comment. in Luc.

Porro ut melius totum Recollectionis negotium succedat, tria vehementer suadeo, rogoque.

Primum, ut in potentes sacri negotii *Patronos* singulariter vobis eligatis B. Virginem Mariam, SS. Angelos Custodes vestros, nec non gloriosum Patriarcham vestrum & primarium novæ Legis Sacerdotem D. Petrum Apostolum.

Alterum, ut ad exorandam necessariam Numinis gratiam consuetis, aut præscriptis precibus addere ne gravemini saltem aliquid *Orationis*, forte & *Mortificationis*, e. g. piam libri spiritualis lectionem, sub mensa occultam a cibo aut bolo quodam *sapidiorè* abstinentiam, oscula Crucifixi, aut etiam terræ, sed in abscondito &c. & maxime solito majorem *oculorum* ac *linguæ* custodiam; secus enim vel balsamum, spiritusque nobilissimi evaporabunt, nisi probe claudatur vasculi orificium: frigescet hypocautum etiam perbene calefactum, si ja-

nuam sapius aperias. Hinc Apostolus: *Date operam, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis.* *

Utamur ergo parcius verbis, cibis & potibus, Somno, jocis: & arctius perstemus in custodia - sensuum. **

Tertium est, ut *notabiliores*, si qui forsan essent emendandi, *defectus* pridie Recollectionis scripto annotare velitis, & omnia Meditationum proposita, affectus, & illustrationes ad seriam eorum emendationem dirigere; sine hoc enim frustra esset omnis labor & Recollectio. Quare ad *lineolas* hoc modo --- occurrentes opus erit non nihil pausare, se reflectere, rimari &c.

Cæterum hodie non solum *itineris Comitem*, sed & *Medicum* agam in itineribus sæpe necessarium. Cum autem morbos animæ, saltem graviores, in vobis haud suspicer, *Præservativa* potissimum media præscri-

* I. Thessal. 4. ** Ex Hymn. Quadrag. ad Matut.

scribam: non omittam tamen etiam *Curativa* adhibere, sed ita, ut nemo vestrum se a me tangi, nedum pun- gi, possit existimare. Ea de causa in posterum non vos alloquar, Ven. Domini, sed fictam hypothetici cujusdam Ecclesiastici Personam, quem *Timotheum* nomino, non quod ego sim *Paulus*, sed quia ipse vel jam est, vel certe post hanc *Recollectionem*, ut spero, erit *Timotheus*, h. e. *honorans Deum*.

Age igitur, *Timothee*, ac *Præparatoriam* mecum meditationem breviter institue *de fine hominis*. Illam *Dux* noster, S. Ignatius, vocat * *Principium*, & *Fundamentum*: *Fundamentum*, in quo recumbit totum spirituale ædificium, secus certo ru- iturum. *Principium*, quia *finis est re- gula agendarum rerum*, & *primum in in- tentione ac ultimum in executione*. **
Sit ergo

MEDI-

* In lib. Exercit. ** Aristot.



MEDITATIO
PRÆPARATORIA.
DE
FINE CUJUSLIBET HOMINIS.
PUNCTUM I.

*Creatus est homo , ut 1^{mo.}
Deum suum laudet , ac
2^{do.} ei serviens tandem
salvus fiat. S. Ignat. **

Singulas jam circumstantias , Timo-
thee , nonnihil perpende. *Creatus
es : a quo? -- Fides respondet : Deus
creavit hominem. -- ** Obstupesce digni-
tatem tuam. Opus es non hominis ,
non Angeli , aut Archangeli , sed ipsius
Dei : Origo tua & Pater tuus est ipse
Deus :*

* In Lib. Exercit. ** Gen. I.

De fine cujuslibet Hominiſ.

Deus : *Genus Dei es.* - - * En ergo Nobilitatem tuam ! - -

20. At quomodo creatus es? - - Creavit (te) Deus Hominem ad imaginem & similitudinem suam, ** quem jure æquali poterat facere canem, vermiculum, bufonem, hydram, lignum, aut si quid est abjectius, - - - Et quidem dicto modo præ innumeris hominibus, quos prævidit, sibi constanter & ferventissime servituros, si illos suo e nihilo produceret, te ad imaginem suam condidit, postquam clarissime prævidit, te sibi fore ingratum, inimicum, rebellem. - - -

30. Quando autem te Deus creavit? - - Scilicet non in *Lege Veteri*, ubi Cælum per 4000. annos omnibus erat occlusum : non, non, inquam, in *Lege Naturæ* ab Adamo usque ad Moysen, ubi plerique perierunt æternum : nec in *Lege scripta* a Moyse usque ad Christum, ubi erant tempora ignorantia, & fere pauci ad salutem pervenere ob nimiam Dei & Cælestium ignorantiam : nec denique in *Lege Gratiæ* primis statim temporibus tyrannorum & persecutionum, ob quas rot millia Christianorum, plurimi etiam Sacerdotum a fide defecerunt : Sed in *Lege Gratiæ illo tempore*, ubi Lex Evangelica

* Act. 17. ** Gen. 1.

10 *Meditatio Preparatoria*

lica uti tot Sanctorum millionibus tritam, facilem, & planissimam ad Cælum viam monstravit, ita & tibi monstrat. Hanc ut certius invenires, voluit præterea Deus te *nasci* in loco catholico, *educari* a parentibus catholicis, *instrui* a Magistris catholicis &c. - *Heu!* quot nobis ad salutem via! * Quot, quantique favores Timothee, in uno Creationis tuæ beneficio latent?

Verum enimvero *Cur?* (in quo caput & cardo rei vertitur) *Cur? quem in finem Deus te ita creavit?*

Fides respondet: *Dei mandata observas hoc est enim omnis homo: *** seu, ut explicat Hieronymus, *ad hoc natus est omnis homo: &* ut ait Bernardus: *absque hoc nihil est omnis homo, ut Sol non lucens, ignis non Urens.*

Aut edic mihi: quis pleniori jure tuam exigere possit *obedientiam & servitium*, quam ille *Dominus*, a quo per *Creationem* accepisti totum, quod es, & habes? *quis enim plantat vineam, *** hortum, aut agrum, & de fructu ejus non edit?* -- Quam ille *Dominus*, qui totum *Creationis* beneficium singulis omnino momentis repetit, *renovat*, duplicat, dum te, tuaque omnia, ne in Nihilum tuum recidas, continuo
om-

* S. Chrysoft., ** Eccles. 12., *** 1. Cor. 9.

De fine cujuslibet Hominis. II

omnipotente manu sua *conservat*; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus? - - *

Nunquid & tu, Timothee, a servo & famula tua? imo a tuo cane & equo, quos nutris, *obedientiam* & *servitium* exigis? - - Jure, ais, exigo, sum enim eorum *Dominus*. - - -

Bene. Ex ore tuo te judico, Quomodo igitur sine palmarum injuria *Creatori*, *Conservatori*, *Domino* Deo negare possis, quod ipsemet a Servis & canibus tuis quotidie exigis? - - Qua fronte famulis, imo (sed pudet eloqui) tuis canibus & equis vel semel tibi inobedientibus impotenter irasceris; & tibi non indignaris, qui forte *sepius* contra jus naturale, divinum & humanum, contra omnem *Servi* naturam & conditionem Deo, *Domino tuo* inobediens, refractarius, rebellis fuisti? - - & quidem non ut Rex Pharaon, qui vel *Deum* non agnovit, vel noluit pro suo agnoscere *Domino*: *Nescio Dominum*: ** sed tu, postquam milles clam orasti, aut publice clamasti: *Credo, credo in unum Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cæli & terræ. Credo & in J. Christum, Filium ejus, unicum Dominum nostrum. Credo & in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem,*

* Act. 17. ** Exod. 5.

12 *Meditatio Preparatoria*

tem, qui cum Patre & Filio simul *adoratur?* - - Et tamen his omnibus *insuperhabitis non serviisti Deo tuo? a seculo & juventute tua (queritur Deus) confregisti jugum meum & mandata mea: dixisti: Non serviam.**

Ita forte *dixisti*, saltem opere, *Timothee*. Num & hodie ita *dicis?*

Imo non, ais: ah non! - - *Dominus meus, & Deus meus!* ultro ad pedes tuos prostratus cum Saulo sponte & pœnitens clamo: *Domine, Domine, quid me vis facere?* - - ** Scilicet, vis, ut tibi serviam. Utique hoc vere dignum & justum est, æquum & salutare, hinc, quoties Casulam, Sacrum facturus, posthac induam, ardentiorabo: *Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est, & onus meum leve, fac, istud portare sic valeam, ut consequar tuam gratiam. - - -*

PUNCTUM II.

*Creatus es, ut Deo serviens
salvus fias.*

Noverat Deus, hominem a Natura *superbum esse, & semper ad sublimia*

* Jerem. 2. ** Act. 9.

nia aspirare, nec non proprii in omnibus commodi ac *utilitatis* esse *studiosissimum*, simul tamen *debilem*, aut *pigrum*; hinc *finem ultimum* ei præfixit 1. *Dignitate sublimissimum*: 2. *Utilitate questuosissimum*: 3. *Obtentu facillimum*.

I. *Finem, aio, dignitate sublimissimum*. Quid enim? nec in terris ulli hominum, nec in Cælis ulli Sanctorum aut Angelorum, nec Angelorum Reginae, nec ipsi Regi Gloriæ, Deo-Homini, imo nec divinissimæ Trinitati altior, quam tibi, Timothee, finis præfixus est: videlicet Deum cognoscere, cognoscendo laudare, laudando amare, amando frui, fruendo æternum beatificari. - -

Metire jam, si potes, nobilitatem *ultimi finis tui*, Timothee - Titulo *Creationis*, ut omnis alia creatura, necessario & essentialiter factus es *Mancipium*: *Servi facti Deo*. - - - * Ex hac *servili* conditione te Deus extraxit, per *Gratiam* supernaturalem elevando te ad statum *fili adoptivi*: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem*. - ** Denique & Statum *Gloriæ* sibimetipsi æqualis obtulit: *Finem vero vitam æternam*, *** & æternum felicem.

En finem *dignitate sublimissimum*, cui
subli-

* Rom. I. ** Ibid. *** Ibid.

sublimando Deus omnem *Natura*, *Gratia*,
& *Gloria* Ordinem impendit! - - -

II. Verum & *Utilitate questuosissimus est*,
adeo, ut homines eam, & ipsi in Cœlis
Sancti suam Beatitudinem capere haud
possint, nedum explicare nobis. Quod
Deus (in Cœlo) preparavit diligentibus se,
fide non capitur, spe non attingitur, chari-
tate non apprehenditur, desideria & vota
transgreditur: aquiri potest, estimari non po-
test: verissime ait Augustinus. Verbo.
Nec oculus vidit tanta, nec auris audivit ta-
lia, nec in cor hominis ascendit unquam si-
*mile eorum, * que preparavit Deus iis,*
qui diligunt illum, ait testis omni excepti-
one major, testis oculatus. Profecto ibi
solummodo magnificus est Dominus no-
*ster. ***

III. Atque *sublimissimus* hic, *utilissimus*
que finis est quoque obtentu facilissimus,
quia aliud ad id non requiritur, quam,
ut Deum tuum laudes, reverearis, ames, ei
*que servias. *** S. Ignat.*

Jam te ipsum appello, *Timothee.*
An tibi, aut ulli hominum, *difficile ac-*
cidat laudare Sanctitatem immensam? - -
revereri Majestatem summam & infini-
tam? - - servire Domino infinite liberali,
qui non solum minima sibi præstita ob-
sequia

* 1. Cor. 2. ** Isa. 33. *** In lib. Exerit.

sequia immenso æternum compensat præmio, sed innumeris nos prævenit beneficiis, allicit favoribus? - - Quid? difficile sit amare Bonum infinitum? Pulchritudinem infinitam? immensum Mare omnium perfectionum? Benefactorem summum? nos adeo tenere amantem? hunc amare difficile sit? - -

Præsertim cum Deus tuus tam innumera se amanti media tibi addiderit, tot nimirum, quot vides oculis, quot sensibus, aut animo percipis creaturas omnes, si solum excipis peccatum. Reliqua vero (præter peccatum) supra terram creata sunt hominis gratia, ut eum juvent ad prosequendum creationis suæ finem. * Verba sunt S. Patris mei: imo Veritas æterna: Omnia, omnia vestra sunt: vos autem Christi. **

Quam bene igitur Augustinus: Domine, omnia clamant, ut amem te! - - Clamat extra nos Cælum cum Syderibus in bonum nostrum lucentibus, aër cum avibus, aqua cum piscibus, terra cum frugibus. Clamant intra nos concessa nobis liberaliter bona corporis & animi: in corpore integritas sensuum & membrorum; in animo tres nobilissimæ facultates;

B

Me-

* In Lib. Exercit. ** 1, Cor. 3.

Memoria, Intellectus, & Voluntas, *Domine, omnia clamant, ut amemus te.* - -

Sed & *supernaturalia gratiae* dona & bona nobis, prae innumeris Gentilibus, Turcis, Hæreticis, imo & Christianis, sine numero concessa *clamant, ut amemus te.*

Imo tu ipse, mi Deus, *clamas* in Cælo, in terra, in Cruce, & clamans clamas in Eucharistia, ut amemus te, quia in *omnibus* creaturis, & *in temetipso* adeo tenere amas, ut *omnia*, præter peccatum, nobis *cooperentur in bonum* * & ad salutem nostram. *Omnia*: paupertas & divitiæ, ruditas & scientiæ, sanitas & morbi, prospera & adversa &c. -

Jam te ipsum, Timothee, paulisper ingredi, & vide, quomodo tot innumeris *mediis* ad *finem ultimum*, *dignitate sublimissimum*, *utilitate questuosissimum*, *obtentu facillimum* sis usus? - - Quid ad obtinendam parem cum Deo beatitudinem feceris? - -

Heu te! ut Cælum obtinerent, quid non egerunt sanctissimi *Sacerdotes* Athanasius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, & mille alii? - - Quid non egerunt Sancti *Adolescentes* Edmundus, Casimirus, Aloysius, Stanis-

* Rom. 8.

nislaus, & mille alii? - - Quid non cum teneris *Virginibus* pro Cælo passi sunt sancti *Martyres* etiam *Pueri* adhuc, uti S. Puer Vitus, S. Puer Celsus, S. Puer Agapitus, & mille alii? - - Tu autem pro Cælo? pro anima tu quid fecisti? - -

Heu me (cogitas tecum) heu deplorandam cæcitatem meam! Cæli, & finis mei prope oblitus, terrenis immersus vixi. - *Vixi*, inquam, *vixi* hætenus, at non ita *vivam* in posterum. *Dixi*: nunc cœpi posthac vivere *juxta Creationis meæ finem*. Doleo, Creator amabilissime, & propter te solum doleo, non ita vixisse, sed mihi, genio meo, & mundo vixisse, non tibi, & honori tuo. - - At spondeo, & sancte spondeo in futurum fugam occasionum, personarum, locorum, quibus sine tui offensa &c. salutis meæ periculo uti, aut frui non licet. - - Cælum, Cælum mea *Patria* est: hanc unice suspiro: ad hanc unice jam tendo. Te igitur, o Deus, oro *supplex* & *acclinis*: cor contritum quasi cinis; gere curam mei finis. - * Ah! gere curam mei finis; a te enim quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. **

B 2

NB.

* Seq. Miss. Defunct. ** Psalm. 72.

18 Dies I. Meditatio I. De Vocatione

NB. *Ordinem diei ac divisionem horarum* tibi relinquo, *Timothee*. Optimum erit, si mane horam integram *Meditationi*, & *Semi-horam Considerationi* impendas, & utrumque a prandio facias eodem modo. *Considerationes*, quia longiores, si non absolvantur, servire poterunt pro *Lecti-
one* spirituali.



PRIMA DIES.
HONORIBUS SS. TRINI-
TATIS SACRA.

MEDITATIO I.^{ma}
De Fine, & Beneficio Voca-
tionis ad Statum Sacerdo-
talem.

PRÆPARATIO.

Equidem Creationis Beneficium est
ingens: at exiguum in comparati-
one cum Beneficio *Vocationis* ad Statum
Sacerdotalem; audi enim, *Timothee*,
du-

duobus mecum Punctis considera, 1. *Quantum sit hoc Beneficium,* 2. *Qualis sit finis.*

PUNCTUM I.

Quantum sit hoc Beneficium.



Agnitudo Beneficii metienda est ex magnitudine *Dignitatis*, ad quam eligitur, vocatur, & evehitur Sacerdos; nam majus utique Beneficium Rex confert gregario militi, quem inter Belliduces, inter Proceres, & Consiliarios intimos cum summa secum gubernandi potestate adlegit, quam si cum in grege militum reliquisset? - - -

Jam vero quanta est tua, o Timothee, ad quam te Deus elegit, *Dignitas*? quanta *Potestas*? - - Ut credas, hac de re SS. Patres audi.

Magna, immensa, infinita est Sacerdotis Dignitas. * S. Ephrem. *Dignitas Sacerdotalis omnium bonorum, que in hominibus sunt, apex, & prima, nobilissimaque membrorum Christi pars est.* ** S. Ignat. Mart. - - *Sacerdos Deus est, & alios*

B 3

effi-

* De Sacerd. ** In ep. ad Smyrn.

*efficit Deos. S. Greg. Nazianz. liceat ad-
dere verissima Cassiani verba : Sacerdos
Dei altissimi, si contempleris omnium donorum
sublimitatem, sublimior es : si discretionem
(excellentiā) Angelorum, discretior es :
solo Creatore tuo inferior es : inferior quo-
ad naturam, par quoad potestatem Ordinis
& Jurisdictionis : ob ordinis potesta-
tem in Mysticum Christi Corpus, seu
Christi fideles, per quam Sacerdos fit
supremus Judex Regum & Principum,
Judex orbis terrarum, Judex in causa
vitæ & mortis æternæ : id quod nec
ulli ex Angelis, nec ipsi Angelorum
Reginæ competit.*

*En, Timothee Sacerdos ! toto Cæ-
lo, terraque Superior es : solo Creatore
tuo inferior es. Imo Deo similis, quis enim
potest peccata dimittere, nisi solus Deus ? *..*

*Præterea ob potestatem in reale & phy-
sicum Christi Corpus, quod quinque
verbis pro libitu producis, conficis,
manducas, Patri divino offers, aliis
que distribuis, Creatori tuo par & simi-
lis es. Certe juxta Apostolum Melchi-
sedech Rex Salem assimilatus est Filio
Dei, quia panem & vinum sacrificavit ;
umbram, ajo, & figuram ; quanto ma-
gis*

• Marc. 2.

gis Sacerdos verum & incruentum peragendo Sacrificium *assimilatus Filio Dei?* imo fit quasi ipse Filius Dei; hinc non in *sua*, sed in *Dei-Hominis Persona* ait: * *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.*

Jam ultra, quod addam, non habeo, nisi illud Augustini: ** *Super hoc privilegio stupet Cœlum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus, & veneratur Angelica Celsitudo.* - -

Noli ergo mirari, Timothee. quod sanctissimi quique, ut S. Antonius Abbas, S. Pachomius, S. Patriarcha Benedictus, S. Franciscus Seraphicus jam Diaconus, ex reverentia, humilitate & sacro horrore ausi non sint *Sacerdotes* fieri: nec mirare, quod S. Ambrosius aures, & S. Evangelista Marcus *** digi-
gitum, quem tamen S. Petrus miraculo statim illi restituit, sibi absciderint, tantum, ne in *Sacerdotes* possent initiari, *super hoc enim privilegio stupet Cœlum, miratur terra, veretur homo &c.* - - -

B 4

Cæ-

* Matth. 26. ** Vide P. Scouville. *** V. Corn. a Lap.

Cæterum Magnitudo hujus Privilegii, Prærogativæ & Beneficii mirum crescit *ex Fine.*

PUNCTUM II.

De Fine Vocationis ad Sacerdotium.

DUplex est Finis : Omnis Pontifex (Sacerdos) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum **. En! primus & primarius finis est cultus Dei: *in iis, quæ sunt ad Deum.* Alter & secundarius, ut juvetur proximus: *pro hominibus.* - - O quam sublimis est uterque!

I. *Cultus Dei*, non solum per Horas Canonicas, aliaque preces & functiones Ecclesiasticas eundem more Angelorum juxta finem tuæ Creationis pro viribus *laudando* & *colendo*, sed & per Incruentum Missæ Sacrificium *infinite majorem*, ut Christus fecit, Deo *laudem* & *cultum* exhibendo, quam omnes simul *homines* in terris, omnes simul *Cæ-
lites*

* Ad Hebr.5.

*lites & Angeli in Cælis hætenus exhibuerint, in æternum sint exhibituri, aut exhibere in omnem æternitatem possibile fit, adeo, ut S. Ignatius Martyr * omnem alium Dei honorem & cultum respective velut pro nihilo habeat, solam vero Missam antonomastice Gloriam Domini, Gloriam Domini appellet.*

Vides: ni fallor, Timothee, & luce meridiana clarius vides *sublimitatem & excellentiam tui finis primarii ad cultum Dei promovendum.*

II. Nec minor est *excellencia tui finis secundarii, dum a Deo constitutus es pro hominibus, ut eorum salutem promoveas seu ut Mediator Deum inter & homines, per tuas preces, & maxime per Sacrificia Missæ: seu ut Minister Dei (si Curam animarum habes) pascens oviculas tuas verbo & prædicatione, exemplo, & Sacramentis. - -*

Quid, obsecro, hoc fine *sublimius, per quem Dei Adjutor ** fit Sacerdos? Certe divinorum omnium divinissimum est, Deo cooperari in salutem animarum, notissima est, & verissima S. Dionysii Areop. sententia. - -*

Sed perge, & ulterius, si potes, *magnitudinem Beneficii, seu tuæ ad*

B 5 Statum

* Ep. ad Ephes. ** 1. Corinth. 3.

Statum Sacerdotalem *Vocationis* metire ex unica *tua Personæ*, cui illud obvenit, circumstantia; de te enim verissimum est, quod Scriptura de Aaron *Sacerdote* honorificentissime memorat: *Elegit ipsum ab omni vivente offerre Sacrificium Deo, & placare pro populo.* * **Te**, inquam, te *elegit* Deus, & non tuum fratrem, aut cognatum, qui tamen id gratiæ longe frequentius, quam tu, & ferventius petierunt: **te**, inquam, & non Principem Regium, qui ad id honoris ardentem, & sæpe aspiravit, at non pervenit: **te**, inquam, & non mille alios, qui minus, quam tu, Deum suum offenderunt, aut offenderent in Statu Sacerdotali: **te**, inquam, *elegit* Deus, & non alios, in patria tua & Scholis tibi notos Juvenes, nobilitate, ingenio, doctrina, pietate multo te Superiores, ad promovendum Dei honorem & animarum salutem te aptiores. - - -

At enim *hos non elegit Dominus.*** - -
Et cur non? ediffere. Quænam illi commisere *scelera*? aut quanta tu *præ illis* numerabas *merita*? - - - Ah! Timothee! ah! fatere, quod res est: ex merissimo Benevoli amoris affectu **te**,
te

* Eccl. 45. ** 1. Reg. 16.

te elegit Dominus ab omni vivente, ex millies mille dignioribus: te, inquam. - - Jam intelligis, quid per hoc velim dicere. - - -

At nunquid intelligis simul, quid Deo debeas pro tam insigni Beneficio? - - singularem nimirum *gratitudinem*, cum beneficia non aliter, quam gratitudine possint compensari.

Alphonsus Arragoniæ Rex singulares *quotidie grates* Deo egit I. mo quod se *hominem*: II. do *Christianum*: III. tio inter Christianos *Regem* fecerit. O quam ampliores, Timothee, tu *grates* debes Deo, quod te non modo *hominem*, & *Christianum*, sed dando *Regale Sacerdotium* * *supra Regem* te evexerit; nam, ut certe ait Chrysofomus, *majorem tu illo potestatem habes*, scilicet in *physicum*, & *mysticum Corpus Christi*, imo *majorem Angelis*, *majorem Deipara*, *parem ipsi Deo*.

Quid igitur propterea debes? nimirum 1. *summam Status & Dignitatis tuæ estimationem*. 2. *Summam in iis, quæ Missam*, unde potissimam partem tua est *Dignitas*, concernent, *devotionem*. 3. *Summam Statui tuo competentem vitæ, morumque Sanctitatem*.

Jam

* I. Petr. 2.

Jam te ipsum nonnihil inspice, & vide, an non sis 1. *inter illos*, qui contra honorem & dignitatem Status sui Sacerdotalis non erubescunt abjectissima, vix rusticos decentia tractare negotia? - famulari feminis, prope dixissem infantibus? vulgo & ultimæ hominum fæci in popinis & lusorum conventiculis misceri? - Quid mirum deinde, si, ut sæcularis quondam post longiorem cum Sacerdote verborum litigationem, tandem dicenti: *Reverere saltem Dignitatem meam*: ille respondit, tibi quoque respondeatur: *Et quomodo hoc a me petas, cum ipse eam non æstimes?* - - 2. *Inter illos*, qui loco devotionis, dum operantur ad aram, nescio quos ridiculis referunt *gestibus*, inconditis *clamoribus*, oculorum evagatione, *circumcur-sationibus* pedum, quassationibus capitatis, *crucibus* & genuflexionibus furtive deproperatis &c. ? - - Tales autem num sacrificant, an insultant? jure quærit Tertull. * 3. Aut omnino *inter illos*, qui, ut ait Papa Innocentius III. ** *nocte filium Veneris agitant in cubili: mane Virginis Filium offerunt in Altari?* de quorum lingulis dicere potest JESUS, quod dixit

* L. de Resurr. c. r. ** Serm. 2. die Ciner.

dixit de Juda. * : *Ecce! manus tradentis me mecum est in mensa Evcharistica.*

Timothee! tantum ego scelus de te ut suspicer, absit a me.

Quodsi autem contra spem meam reus fores, nã ego tibi dicerem, quod Rex Herodes Philosopho ad interrogationem: *Tu quis es?* arroganter respondenti: *Vides utique vestitum meum? sum Philosophus: bene reposuit: Vestitum video; Philosophum non video.* Et ego dicerem: *Vestitum Sacerdotalem video: Sacerdotem non video.* Dicerem tibi cum S. Ambrosio: ** *Utique nihil est in hoc seculo excellentius Sacerdotibus, si, quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstramus, ne sit nomen inane, & crimen immane: ne sit honor sublimis, & vita deformis: ne sit Deifica Professio, & illicita actio: ne sit Religiosus amictus, & irreligiosus profectus.* Dicerem tibi, quod Alexander Magnus cognomini, & ignavo militi dixit. *Aut nomen, aut mores muta.*

Quid jam ad ista dicis, Timothee? quid dicis?

Affectus.

* Luc. 22. ** De Dignit. Sacerd. c. 3.

Affectus.

Ah! (ais tremens & confusus) ah!
 quid aliud dicam, nisi *meam culpam,*
meam culpam, meam maximam culpam, eo
 quod summam Status mei *Dignitatem*
 ipse parvi penderim, & aliis degeneri
 conversatione vilem reddiderim per
 nomen Sacerdotis inane, imo (vah!
 horresco referens) per hoc & illud
 Peccatoris crimen immane. Agnosco.
 - - Doleo. - - Propono meliora - At
 mutabo simul & nomen. & mores:
 mutabo in melius *nomen Peccatoris:* mu-
 tabo in melius *mores Sacerdotis.* Domi-
 ne Deus, ut summo *Vocationis* meæ
 Beneficio & Excellentia gratias respon-
 deam. - - Cum autem probe sciam &
 sæpe jam expertus sim, quam debilis
 & inconstans sit voluntas mea, te ite-
 rum, iterumque, o Deus, oro *supplex*
 & *acclinis: cor contritum quasi cinis: gere*
curam mei finis. Ah! gere *curam mei*
finis, ut juxta eum possim te semper
 laudare per omnem vitam in terris, per
 omnem æternitatem in Cælis. Amen.

NB. Ad impetrandam, hanc gratiam
 dic secreto *Pater & Ave &c. Confir-*
ma, o Deus, quod operatus es in
nobis.

Refle-

Reflexiones super Meditationem.

Resl. I. Uti duo sunt fontes tuæ super omnes homines & Angelos *Dignitatis*, *Timothee*, nimirum *Potestas Ordinis*, & *Potestas Jurisdictionis*, seu *Potestas in Corpus Christi physicum ac mysticum*: ita duplex inde oritur obligatio, ad convenientem sublimissimo huic Statui *Sanctitatem* enitendi: & quidem.

Primo ob *Potestatem Ordinis*; etenim si sancta sancte sunt tractanda, quanto magis *Sanctus Sanctorum*? O veneranda *Sacerdotum dignitas*, in quorum manibus, velut in utero *Virginis*, *Filius Dei incarnatur*! ait S. Greg. *Maria humilitate placuit, Virginitate concepit. Quale tu Cor affers ad incarnandum in ara Deum? quales manus?* - - - Ut digne *Corpus Christi* tractes, merito *Chrysoftomus* requirit *manum solari radio splendidiorum*. Væ tibi, si ex illis fores, de quibus olim *Christus* ad *S. Margaritam de Corona*. Videns hæc sub *Consecratione Manus Sacrificantis JESULUM* tractantes nigerrimas, conspurcatissimas, flens exclamabat: *Misericordiam, Domine, tam impuris manibus!* Cui *Christus*: *Eheu! magna pars Sacerdotum me ita tractat.*

Se-

Secundo. Ad *singularem vitæ Sanctitatem* obligaris ob *Potestatem Jurisdictionis*, seu ut *Sacerdos Curatus*: imo NB. *præ sæcularibus, & Religiosis qua talibus*, etiam ut *Simplex Sacerdos*, ob has rationes.

I. mo *Quia Status Sacerdotalis dignitate plurimum superat utrosque.* II. do *Quia iisdem, vel pluribus in sæculo, quam Religiosi in claustris, obnoxius periculis majore indiget sanctitate*, ne mundanam contrahat contagionem: longe vero *majore Sacerdos Curatus*, cum quia *Pastor animarum debet esse forma gregis*; * ad quod non tenentur *Religiosi qua tales*, multo minus *sæculares*: tum quia non solum ipse, saltem certis temporibus, tenetur *Corpus & Sanguinem Christi conficere*, sed & *oviculis ministrare*, utique in *statu gratiæ & sanctitatis* existens. III. tio *Quia Sacerdos Curatus obligatur, non solum, ut sæcularis & Religiosus, se ipsum, sed & alios reddere sanctos: ab immundo autem quid mundabitur? ** aut quis dabit, quam ipse non habet, sanctitatem?*

Ref. II. *Sacerdos Curatus est Legatus Dei, Minister J. Christi, Apostolus pro hominibus constitutus. Ergo singulari debet*

* 1. Petr. 5. ** Eccli 34.

bet studere *Sanctitati*. Apostolorum munus est *purificare, illuminare, perficere*, recte inquit S. Dionys. Areopag.: * imo ipse Christus, dum ad Apostolos dixit: **
1. *Vos estis sal terræ. Sal cibos purificat, & a corruptione præservat.* 2. *Vos estis Lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est, ut nimirum ex filiis tenebrarum efficiantur filii lucis.* *** Velut civitas supra montem posita, omnibus doctrina & sanctitate præluces, non ut civitas abscondita, seu ut Monachi & Eremicolæ, suæ duntaxat salutis studiosi. Bene igitur S. Bern. de Pastoribus: *Lucere tantum, vanum est: tantum ardere, parum: ardere & lucere, perfectum.* Lege ex Thom. Kemp. de Imit. Christ. L. 4. c. 5.

Porro ut conformiter Statui & Dignitati tuæ vivas, audi *particulares Ecclesiasticorum obligationes*, per modum *Considerationum, Examinum, aut piæ Læctionis* opportunis diei horis expendendas. Brevissime illas complexus est ipse Deus his verbis: **** *Diliges Dominum Deum tuum.*

* C. 3. de Cæl. Hier. ** Matth. 5.
*** Ephes. 5. **** Matth. 22.

tuum, hoc est primum & maximum Mandatum: alterum vero simile huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. in quæ verba S. Augustinus: Primum diligendum est, quod supra nos est: id est Deus: secundum, quod nos sumus: id est Anima nostra, tertio, quod juxta nos est: id est proximus.

Nos, Timothee, mutato nonnihil ordine primam obligationem nostram erga Deum, hodie: alteram erga proximum, cras: tertiam erga nosmetipsos, perendie considerabimus. Sit ergo prima.

CONSIDERATIO

De Religione, seu Obligationibus erga Deum.

Timothee! Tota origo tua & creatio a Deo est: totus *finis* tuus ad Deum rendit. Ergo totus debes esse Dei, & semper; *mane, interdiu, & vespere.* Ergo religiose debes diem cum Deo, & propter Deum inchoare, profequi, finire: aut *an nescis, quod primitias tuæ cordis & vocis quotidie debeas Deo?* *

Cogita igitur primo, an, & quomodo *primitias vocis, seu preces matutinas,*

* S. Ambr.

tinis, saltem breves, saltem per bonam intentionem, Deo tuo quotidie offeras? - - - Utique *dimidium facti*, qui bene cœpit, *habet*. At dæmon quoque *dimidium facti*, & diei apud illum, qui male cœpit, *habet*, ait S. Climacus.

Nunquid Amicos & Hospites tuos mane invisis, & salutas? cur non & Deum? - - Vestes tuas, crines capitis, aut domus negotia statim mane ordinas? cur solam negligis animam? - - Erubescere, Dole. Propone meliora.

Ita sane docent te 1. *Gentiles* cum solenni suo: a *Jove principium*. 2. *Gratitudo naturalis*; noctu enim mollibus jacuisti in plumis; ob peccata tua dignus jacuisse in flammis. 3. *Utilitas tua*, & *necessitas tua*, Dei gratiam & Cæli rorem, ne in via virtutis per diem deficias, colligendi cum *Israëlitis mane*; etenim *qui mane vigilant ad me, inveniunt me*, ait Deus. *

Sed enim non solum *primitias vocis*, sed & *cordis* debes quotidie Deo: brevem, inquam, & piam *cordis Meditationem* per unicum horulæ quadrantem e. g. de veritate quadam Evangelica, æterna, practica; de virtute quadam amplectenda, aut fugiendo virio, aut

C 2

passi-

Prov. 8.

passione vehementi edomanda, aut familiaribus, quæ præsens Libellus tibi ministrabit.

Dixi: *per unicum horula quadrantem: quid, obsecro, minus possem petere pro Deo, & salute tua? - Aut an forte non intelligis, quam utile, necessarium, facile sit exercitium Meditationis, seu Orationis Mentalis?*

En ergo summas ejus utilitates ex S. Bernardo: * *Consideratio rerum particularium mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat, agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens.*

Inde est, quod omnes Ordinum diversissimorum Fundatores sanctissimi, licet in varietate Regularum, aliorumque ad Perfectionem ac Salutem mediorem ut plurimum discrepent, attamen divinitus illustrati filiis suis quotidianam Meditationem præscribant, ad unum omnes.

Quid? tempus non habes ad ista? --- Habebis, Timothee, si amputas occasiones otandi, excurrendi, in claram lucem stertendi, lusus & hospitia frequentandi &c. Dein tempus habes ad
alia

* L. 1. de Confid. c. 7.

alia negotia, & quadrantem non habeas pro negotio æternitatis & animæ tuæ? Forſan ad hujus exitium tempus habes: & non habeas ad ejus ſalutem?

Ais. *Meditatio* non ad nos *Seculares Eccleſiaſticos*, ſed ad *Religioſos* pertinet, ac *Monachos*.

R. Utique ad hos pertinet, quia ſine hoc animæ cibo tam parum poſſent in *via Virtutum & Perfectionis* conſiſtere ac progredi, quam parum Corpus vivere ſine cibo materiali, recte ait S. Mater *Therēſia*. Ergo (NB.) *Meditatio* magis pertinet ad *Eccleſiaſticos Seculares* I. mo ob *majorem*; uti S. Thomas probat, ad ſtudium *Perfectionis obligationem ſæcularis Sacerdotis*, quam *Religioſi non Sacerdotis*. II. do Ob *majorem eorum pro Religioſis neceſſitatem* ſeſe in *Oratione mentali* frequenter colligendi; ſunt enim præ omni Religioſo majoribus obnoxii periculis, minoribus inſtructi remediis, paucioribus conſtricti frenis, pluribus diſſipati negotiis, occupati curis, diſtracti turbis, diſſoluti licentiis &c.

Hæc autem omnia regit, dirigit, corrigit *Meditatio*, ait S. Bernardus, & ſubdit ad Eugenium Papam: *Igitur Conſiderationi aliquid tui, & cordis, & tem-*

temporis sequestra. Hoc autem dico Necessitatem intuens, non equitatem.

Necessitatem autem? - - Ita est, mi Timothee, Meditationem divinorum assero cum S. Bern. tibi necessariam ad tuam & alienam salutem procurandam.

Primo ad alienam, quomodo enim aliis in cathedra, catechesi, sacro tribunali, aut familiari colloquio propones cum fructu & emphasi, quæ non ipse prius serio expendisti? Num canalis redde potest, quas non ipse prius hausit, aquas? aut mater lac proli, nisi prius cibos ipsa probe digesserit, suam que in substantiam converterit? - - -

*Secundo ad tuam ipsius salutem. Ostendo, demonstro. Evidens est, quod salutem tuam operari non possis, nisi de ea sæpe, & serio cogites. Evidens autem est, quod ita de ea cogitare non possis sine Meditatione, seu reflexione ad salutis pericula, ut evites: ad media, ut adhibeas. Ergo evidens est &c. Hinc illæ lacrymæ & pernicies tot Sacerdotum ac Religiosorum: desolatione desolata est omnis terra, quia nemo est, qui recogitet corde. **

Pro-

* Jerem. 12.

Profecto *Justus ex fide vivit*, * neque aliter sancti evadimus, & salvi, nisi quantum vivimus conformiter principiis, regulis & Veritatibus Evangelicis: non possumus autem ita vivere, nisi eas probe cognoscamus: non cognoscimus rite, nisi eas meditemur, & expendamus sedulo. En novam de *Necessitate Meditationis* quasi demonstrationem!

Certe ut Navarchus vel Nauta se, suosque ac navim tuto ad portum dirigat, perducaturque, non sufficit mappas Geographicas in sacco aut cista habere convolutas, sed opus est eas sæpius *inspicere*, & serio *considerare*. Et tu sperabis, quod te, tuosque ad felicitatis æternæ portum sis perducturus, si domi libros habeas spirituales ceu totidem mappas Geographicas, iter ad Cælum monstrantes, quas tamen non *inspicis*, non *consideras*, non *meditaris*?

Tibi igitur dictum puta, quod Deus jubet: ** *Ignis in altari* (intellige cordis) *semper ardebit*, quem nutrit *Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies*. Nota mane per singulos dies. Ita sane de se Magnus scribit Augustin: *** *Ego in lege Domini meditator*, si non die ac nocte, saltem

C 4

tem

* Rom. 1. ** Levit. 6. *** In Psalm. 31.

tem quibus particulis possum, & meditationes meas, ne oblivione pereant, stylo alligo: h. e. in charta annoto.

Replicas. Mi bone Pater! Esto: habeam tempus & animum quotidie meditando, at nescio modum, praxin, methodum.

R. 1. Levioris pretii passim dantur libelli, illa qui doceant. 2. En! praxin tibi do brevem, planam, facilem. Sic ergo habe.

Meditatio, seu *Oratio mentalis*, non consistit in sublimibus sensis & cogitationibus, non in peregrinis conceptibus, non in extaticis raptibus &c: sed consistit in variis *Intellectus* discursibus, in piis animi & *Voluntatis* motibus, in practicis animæ *propositis* vitam bene ordinandi. Igitur ad bene meditandum opus est solum, ut sis *homo*, seu *rati-onis* compos: opus est, inquam, tribus animæ potentiis; *Memoria*, *Intellectu*, & *Voluntate*.

Memoria, ut *Meditationis* materiam, seu *propositam* fidei, aut *morum* doctrinam rite teneas, atque adeo pridie diligenter relegas, ordines &c. *Intellectu*, ut eandem tecum rumines, serio perpendas, variis rationibus & discursibus illustres. *Voluntate* opus est ad *praxicas*

Tricas conclusiones, proposita & affectus deducendos: e. g. nunc *dolendo* de male actis: nunc *proponendo* meliora: jam *grates* Deo ob beneficia *agendo*: jam *timendo* ejus *Justitiam*: jam *amando* *Bonitatem*: jam *implorando* ejus *auxilium* ad sanandos animæ tuæ morbos: nunc *emendicando* stipem ab eo ad sublevandam tuam in spiritualibus paupertatem: & sic de aliis. Quid, obsecro, facilius? Hic non opus est arte ac studio. Nonne quilibet mendicus *naturaliter* scit suam proponere *egestatem*, ut divites commoveat ad misericordiam?

Dein haud dubie concionari scis, *Timothee*: ergo scis & meditari. *Memoria* tua in concionibus proponit unam, alteramve *doctrinam*, aut *veritatem*. Eam ut persuadeas Auditori, *Intellectus* varias excogitat *rationes* & *motiva*, *Voluntatem*, Auditoris excitantia ad amplectendam, & *præctice* exequendam concionis tuæ *doctrinam*. Addis *Media* ad facilem reddendam *praxin*. Subdis denique *Affectus* ad movendam & corroborandam in bonis propositis *Voluntatem* accommodatos. En! quod Auditoribus facis *concionando*, hoc idem, & facile tibi *facere* poteris *meditando*.

Nunquid & rustici, ac simplicissimi artifices sæpe cogitant, meditantur, animovolvunt, & revolvunt ea, quæ spectant ad eorum professionem, artificium, labores, pericula, damna, vel emolumenta?

Nunquid & tu, mi Timothee, frequenter per horam & ultra cogitas, an nullum e. g. in re œconomica sis damnum passus? qua ratione, quibus mediis illud resarcire, pericula in futurum amovere, majus lucrum e tuis Capitalibus, agris, aut prædiis capere possis? *Quod facis in pecunia*, ait S. Augustin., *hoc fac in conscientia*, & modo meditandi, & optima erit Meditatio tua.

Porro largos cogitationum, discursuum, & affectuum fontes tibi suppeditabit notissimus orbi versiculus:

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? seu occurrentes in quavis materia *Circumstantiæ Personarum* (*Quis?*) loquentium, agentium, patientium &c. *Objectorum & materialium* (*Quid?*) fidei, aut morum &c. *Locorum* (*Ubi?*) in quibus res peractæ sunt, aut peragenda. *Mediorum*, virium & motivorum (*Quibus auxiliis?*) *Causæ finalis* (*Cur?*)
aut

aut impellentis ad hoc vel illud. *Applicationis* (Quomodo?) animi & corporis. *Temporis* (Quando?) ante-, vel post Christum natum, passum &c.

Eadem, aut majori facilitate rationes, motiva, discursus, imo & affectus Meditationum eruere poteris ex communibus quinque fontibus, aut ex uno eorum: scilicet 1. ex *Necessitate*. 2. *Utilitate*. 3. *Honestate*, seu dignitate. 4. *Æquitate*. 5. *Jucunditate*, seu facilitate e. g. in cujusque virtutis exercitio, aut vitii fuga.

En ergo praxin facilem meditandi utilissime.

Altera, & præcipua Religionis Deo debitæ pars est Tremendum Missæ Sacrificium.

Monet Conc. Trident.* , *omnem operam ac diligentiam Sacerdotum in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiore cordis munditia, atque exteriori devotionis specie Sacrificium Missæ peragatur.* Ita Trid. & merito; nam 1. ejus *Dignitas* est simpliciter infinita. 2. *Utilitas* immensa. En duo puncta considerationis tuæ!

Pri-

* Sess. 22.

Primo. *Dignitas, Valor & pretium Missæ est simpliciter infinitum.* Ita omnes docent Patres, Theologi, Ecclesia: intellige Sacrificium Missæ *in sua natura & substantia*, seu quoad primam & remotam potentiam spectatum; hoc enim sensu unum, non numero, sed specie, est hoc Sacrificium cum eo, quod Christus obtulit, recte ait S. Ambr. *: & clarissime juxta Conc. Trid. una, eademque est Hostia, idemque nunc (principalis) offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit **: atque adeo ex sua natura, substantia, & dignitate Hostiæ & Offerentis est infiniti valoris: attamen spectatum quoad proximam potentiam, quam habet ex Christi institutione ac voluntate, non habet actualem efficaciam producendi effectum infinitum, sed finitum duntaxat, & limitatum, uti docet communis Theologorum cum S. Thoma apud Layman: *** & praxis Ecclesiæ, permittentis pro uno, eodemque homine, aut re plures legi Missas, & repeti frequentius: quod certum est signum, Missam non habere effectum infinitum.

Interim quasdam veluti prærogativas atque excellentias videtur *incruentum Missæ*

* In C. 10. ad Hebr. ** C. Trid.
*** L. 4. tract. 5. c. 1.

ſæ Sacrificium poſſidere præ cruento in Cruce Sacrificio ; hoc enim 1. *Semel* duntaxat peractum eſt : 2. in *ſolo* Calvariæ monte : 3. *tres* ſolum horas durans : 4. in Chriſti Corpore *paſſibili*, ac mortali : 5. & equidem per *ſcelus* omnium maximum, ſeu per deicidium inter enormes Chriſti injurias, deſpectus, blaſphemias. At vero incruentum Miſſæ Sacrificium fit *millies* & *millies* quotidie : fit in *toto* terrarum orbe : *ſingulis* diu, noctuque *horis* uſque ad conſummationem ſæculi : id que in Corpore Chriſti jam *immortali* & *glorioſo* : inter ſublimiſſimos *Religionis*, aliarumque *Virtutum*, præcipue theologicarum, *actus*. O quantam hæ prærogativæ devotionem deberent Sacerdoti conciliare!

Adde, quod Miſſa non ſolum omnia Legis antiquæ Sacrificia modo prorfus perfectiſſimo præcontineat, ſed & *infinite* ſuperet ; eſt enim

I. *Holocaustum* vere *Latreuticum*, Deo tanquam ſupremo rerum omnium principio, fini & Domino debitum, Deo pleniffime dignum, & tantum illi tribuens honorem, quantum meretur, aut exigere poteſt, ſcl. *inſinitum*.

II. *Propitiatorium*, ſeu *Hostia* pro peccato non ſolum adæquans, ſed *ex ſe* *infinite*

te

44 *Confid. de Obligationibus.*

te superans debita nostra, & totius mundi. *

III. *Eucharisticum*, reddens Deo *grates* omnibus beneficiis, ulli unquam creaturæ, etiam B. mæ Virgini, etiam Humanitati Christi a Deo tanquam authore *naturæ*, *gratiæ*, aut *gloriæ* unquam collatis, aut unquam conferendis *omnino pares*. **

IV. est *Impetratorium* ad obtinenda tam *vivis*, quam *mortuis* varia Dei beneficia, gratias, ipsamque salutem.

Atque istam Missæ vim *impetrativam* esse *infinitam*, fatentur omnes, utpote fundatam in *dignitate* ipsius *intrinseca*, licet Deus non concedat semper, quod petitur, nisi cum iudicat, ad suam esse *gloriam*, & animæ nostræ salutem. ***

Ad demonstrandam modo *Utilitatem* Missæ sufficerent hæcenus dicta. Juvat tamen addere breviter aurea Thomæ Kemp, verba ex aureo ejus Libello: **** *Quando Sacerdos celebrat, 1. Deum honorat, honore infinito. 2. Angelos letificat, totumque Cælum; nam ubi Rex, ibi Curia: ubi Christus est, ibi Angeli, ibi Cælum, ait Chrysof: ***** & suis*

* I. Joan. 2. ** V. Lancic. tr. 13.

*** V. Card. Bona de Miss. **** De Imit. Christ. L. 4. c. 5. ***** Hom. 3. in Ep. ad Ephes.

fuis frequenter oculis vidit cum S. Nilo, S. Greg. Magno &c. 3. Ecclesiam edificat, stabilit, conservat. * Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia: & quid erit in mundo, nisi error & infidelitas, & quasi grex porcorum dispersus? 4. Vivos adjuvat, utpote impetratorium, nobis conferens gratias ad corporis & animæ salutem cum utiles, tum necessarias. Sic Judæi percutientes pectora sua revertebantur** a prima omnium Missa in monte Calvariæ. 5. Defunctis requiem præstat non solum per modum Satisfactionis, ut animæ Purgantes pœnas solvant, sed & Impetrationis, ut veniam, opem, aut liberationem obtineant juxta S. Thom, Suarez & communem Theologorum. 6. Et se omnium bonorum (corporis & animæ) participem reddit ob imensos fructus meritorum, satisfactionis &c..

Timothee! infinita Missæ Dignitas: imensa Sacrificantis, imo totius Ecclesiæ Militantis æque ac Purgantis Utilitas nisi te ad sacrificandum quotidie simul ac devotissime permoveant, ultra quod addam, non habeo.

An vero, & quomodo ista observaris, tibi jam nonnihil considerandum relinquo

* S. Bonay. de Præp. ad Miss. c. 2. ** Luc. 2. 3.

quo : tria potissimum, quæ scl. servanda sunt *ante Missam, sub Missa, post Missam.*

I. *Ante Missam*, sub peccato gravi necessarium est i. *ex parte corporis* Jejunium non modo *ecclesiasticum*, sed & *naturale* a medio noctis: *ex parte animæ* immunitas ab *omni censura ecclesiastica*, imo ab *omni peccato gravi*: secus novum, majus, sacrilegium contrahitur, & sacrificans reus erit *Corporis, & Sanguinis Domini.* * hoc est, reus erit, ac si Dominum occidisset, ait S. Thom. ex S. Chrysoft. Heu! quantum foret scelus, S. Hostiam in cloacam aut fimetum proijcere! tales vero sacrilegi Sacerdotes *præstantissimum mundi Pretium in conscientia sua foetidum sterquilinum proiiciunt*, ait S. Bern. Imo juxta Paulum Palacium *aptior sane locus Deo esset infernus, si culpæ abessent, quam anima peccatrix.*

Quam merito igitur præcipit Conc. Trident. ** *ut nullus Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad S. Eucharistiam audeat accedere, modo non desit copia confessarii. Quodsi urgente necessitate absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Igi-

* I. Cor. II. ** Sess. 13. c. 7.

Igitur ad evitandum eo casu *sacrilegium*, necessario *quinque* conditiones debent *simul concurrere*. 1. Ut desit *copia Confessarii*, h. e. *opportunitas* confitendi *cuicunque*, non autem intelligitur *tuo ordinario*, multo minus, ut quidam male & falso explicabant, *copia seu multitudo Confessoriorum*; alias Concilium debuisset necessario dicere *copia Confessoriorum*: & non *copia Confessarii*. 2. Ut talis *opportunitas* longo itinere, aut magno incommodo debeat quæri. 3. Ut *vera necessitas urgeat*, v. g. periculum mortis, vel consecrandi hostiam pro morituro: vel si alias populus die Dominica, aut Festo nullam posset habere Missam. 4. Ut *actu eliciat contritionem perfectam*, 5. Ut *quamprimum* confiteatur: non *suo tempore*; quod damnatum est ab Alexandro VII. *, sed, ut Lugo cum communi DD. explicat, *illo ipso die*, aut *prima occasione*: certe antequam iterum sacrificet.

Denique *ante Missam* requiritur non tantum *remota præparatio*, seu conscientia a peccato *gravi pura*: sed & *proxima* & *formalis*, seu debita *Intentio* rite consecrandi e. g. per illam Oratiunculam: *Ego volo hodie celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem D. N. J. Christi jux-*
D ta

ta ritum S. Romanae Ecclesiae &c. cui *Orationiunculae* Gregor. XII. concessit 50. dierum *Indulgentias*.

II. *Sub Missa* observari oportet, quae absolute observari jubent tam *Leges Divinae* quoad materiam, formam, intentionem, consecrationem & absorptionem utriusque speciei: quam *Canonicae*, seu *Rubricae*: quae non quidem omnes stringunt sub *gravi* peccato, non tamen *nullae*. De utrisque legi aliquoties utiliter, hoc praesertim triduo, poterit *Missale*, aut probatus quidam *Author*: uti & de defectibus in *Celebratione Missarum* occurrentibus.

Juxta nostrum *P. Sa* debet *Missa* legi cum his 4. dotibus seu literis:

1. *A. Alte*, seu (exceptis excipiendis) *saltem in summo altari*, voce *alta*, sonora, perceptibili, ut *populus* queat obiter scire, quid agatur in altari: non tamen voce clamorosa & *Stentoris* instar, ne molestiae sit orantibus, impedimento aliis simul celebrantibus.

2. *B. Breviter*, brevitate *moderata* & *modesta*, quae juxta *Regulas Societatis nostrae* nec cum praesentium *tædio* spatium horae dimidia multum excedat, nec cum eorum *scandalo* a longe non adæquet, ac expleat. O quam turpe foret,

ju-

juveniliter quasi pro loco & præmio volatilem & venatoriam quadrupedante cursu deproperare Missam: voces, verba & actiones truncare &c.

3. *C. Clare*, claritate virili ac prudente, ut nec affectate, nec tortuose, & instar tormenti bellici tota oris & corporis vi protrudantur verba, præsertim *Consecrationis*. Sufficit illa clare, articulatum, humano tantum modo proferre ad exemplum Christi, qui pari omnino tenore cum cæteris colloquii sui verbis verba quoque *Consecrationis* in Cæna ultima protulit. Aut an quis per majorem oris hiatum & halitum certius, aut majorem, quam Christus instituit, Deum volet, aut poterit efficere? nugæ forent scrupulosorum, non lacrymis, sed risu dignissimæ.

4. *D. Devote*, seu, ut ait Conc. Trid. *summa exteriori devotionis ac pietatis specie*, oculorum modestia, verborum, gestuumque gravitate, non perfunctorie, non histrionice, non luride. tali ego dicerem cum Joanne Avila in aures: *Traeta illum (J. Christum) reverenter; est enim Filius Patris Nobilis, & Nobilis Matris*, aut cum Christo ad Judam: *Quod facis, fac citius.* *

D 2

4. Ad-

* Joan. 13.

4. Addit Gavantus E, *Exacte* ad Rubricas.

Porro utilissimum erit, & solatio plenum, quotidie *sub Missa* Evcharistiam sumere *per modum Viatici*, quia sic nunquam, morte etiam repentina, morieris absque Viatico. Ita fecit, & suadet noster Ven. P. Nicol. Lancicius.

III. *Post Missam* I. Singulares oportet *grates* Deo agere quod nos ad mensam Angelicam, imo divinam admiserit. Rusticum non invenias, Timothee, adeo crudum & omnis oblitum humanitatis, ut a vicino, aut a te ad mensam invitatus, & bene pastus, discedat sine gratiarum actione, secus facientem neque tu, neque vicinus ad epulas denuo invitarent. *Judas* proditor cum in cœna ultima accepisset buccellam, exivit continuo. * *Judam* imitantur, qui ante ultimam gratiarum actionem discedunt a Cœna Domini, ait Chrysof. 2. Oportet, divino Hospiti aliquamdiu colloqui, spirituales morbos Omnipotenti Medico aperire, opem flagitare &c. Heu me! etiam Sæculares plerumque ad horæ quadrantem intra se collecti sumpto in Evcharistia Deo familiariter colloquuntur: & Sacerdos statim illi tergum obvertat? Vah! Te ipsum
jam

* Joan. 13.

jam ad tribunal & examen voca, Timothee, an, & quomodo observaris servanda ante Missam, sub Missa, post Missam. Si; felix es, &, si pergas, æternum eris. Sin autem; dole: emenda te: & non minus eris felix.

MEDITATIO II.

De obstaculis nostræ Salutis:

Seu

De Gravitate peccati mortalis.

PRÆPARATIO.

DEus, ut nos ad sectandum *finem ultimum* incitaret, eundem nobis præfixit *nobilissimum* simul & *utilissimum*: ut præterea redderet *obtentu facillimum*, *media* addidit sine numero. Ut nihil intentatum relinqueret, *pœnas neglecti finis* adjunxit severissimas, sumpsitque in omnium *primis* peccatoribus tam *Angelis*, quam *hominibus*. En *gravitatem peccati mortalis ex pœnis* in primo Puncto. Inde in puncto secundo colliges ejus *gravitatem in seipso*. Utrumque Timothee, ut

D 3

rite

rite cognoscas, suspira cum Augustino :
Domine, noverim te, noverim me!

PUNCTUM I.

Pœna peccati mortalis in Angelis.

DRimi omnium creaturarum
 peccarunt Angeli: ideo & pri-
 mi omnium puniti. *Quomo-
 do autem? audi, & exhorre-
 sce. Deus Angelis peccantibus non pepercit,
 sed rudentibus inferni detractos in tartarum
 tradidit cruciandos. **

Ut severitatem sententiæ ac pœnæ
 comprehendamus, singula verba scrute-
 mur applicando versiculum: *Quis? quid?
 ubi? &c. - -*

*Quis ergo non pepercit? - - Deus non
 pepercit. - - Deus, qui totus ex sua Na-
 tura & Essentia est Bonitas, totus Mife-
 ricordia, totus Sapientia, - - Deus, cui pro-
 prium est misereri semper, & parcere. - - -*

*Quid autem fecit? - - Hic ipse Deus
 non solum non pepercit, sed Angelos
 Natura, Dignitate, Potentia, splendore
 Creatori suo quam simillimos, ad eun-
 dem æternum dignissime laudandum &
 amandum ob eximias Nature & Gratiæ
 dotes*

* 2. Petr. 2.

dotes sane aptissimos, innumeros in Cælo, Sede omnis gratiæ, tradidit in tartarum cruciandos. - - -

Et Cur? Quam ob causam, & debitum? -- Heu me! ob peccatum unicum-momentaneum - sola cogitatione patrum - suo carens effectu: licet præterea nullum præcesserit divinæ Nemesis exemplum - nullæ unquam minæ - admonitio nulla - forte neque cognitio de inferno, qui juxta aliquos tunc necdum erat creatus.

At Quomodo Deus ob hoc unicum peccatum Angelos punivit? - - - Rudentibus inferni violenter & probrosissime detractos e Cælo, loco æternæ Beatitudinis, a qua non nisi uno, alterove momento distabant, in tartarum cruciandos tradidit repente - - in ictu oculi - - eodem, quo peccabant, instanti - - nullo ad pœnitentiam dato temporis momento - nulla ad resipiscendum concessa Gratia - - nulla ad eorum salutem fundendæ a Christo sanguinis guttulæ, nec ulla unquam a lapsu resurgendi spe relicta - - hoc modo, inquam, nobilissimos sine numero hosce Spiritus, ne unico quidem excepto, Deus in tartarum tradidit cruciandos pœnis sensus (seu igne) quoad intensiorem immanibus: quoad durationem æternis:

quibus duriores, spectando pœnam *damni*, seu privationem Visionis Beatificæ, ultrix Omnipotentia, & omnipotens Dei Ultio infligere non potuit, non potest. *Hoc modo*, inquam, peccantes primo-semel-cogitatione unica, Angelos Deus punivit, cujus *Justitia* non potest punire ultra meritum: cujus *Misericordia* semper plectit infra meritum: cujus *Sapientia* nil potest statuere inconsulte: nil *Sanctitas* agere ex impetu, aut passione.

Noli autem tibi, Timothee, blandiri, aut falso imponere, acsi Deus solum in *peccantibus Angelis* adeo severe puniret *unicum peccatum grave*: non minus punit in *peccantibus hominibus*, scil. proto-parentibus nostris Adamo & Eva, & posteris eorum. Audi, & contremisce.

Adam ab ipso met Deo - ad ejus imaginem ac similitudinem creatus fuit, & ditatus innumeris *Naturæ* dotibus, *Gratiæ* supernaturalis donis, originali *Justitia*, seu pleno suarum passionum, imo omnium sub Cælo creaturarum dominio, immunitate ab omni miseria, dolore, morbo, ipsaque morte dotatus, felicitatis æternæ securus &c. His excellentibus donis post primum & unicum peccatum esu vetiti pomi admissum momento citius privatus est *cum omnibus posteris*:
innu-

innumeris contra malis & pœnis involutus. Tales sunt

1. Pœnæ *universales*, bella, pestiferæ lues, terræ motus, inundationes, Regionum devastationes, grandines &c.

2. Mala *Corporis*, dolores, morbi, mortes. - - -

3. Mala *Animæ*, ignorantia rerum, præcipue cælestium, voluntatis pronitas ad omne malum, debilitas ad bonum, perennis pugna carnem inter & spiritum, innumera, ac manifesta æternum pereundi pericula & occasiones.

4. Præcipue æterna perniciēs tot millionum animarum, pretiosissimo Christi sanguine redemptarum: puta, Gentilium, Turcarum, Judæorum, Hæreticorum & Christianorum. Imo (quod sine intimo cordis sensu & lacrymarum imbre non possum memorare) æterna infelicitas tot innocentium Infantum, quorum millions sine Baptismo, aut alio salutis medio tam in Veteri, quam novo Testamento absque sua culpa jam æternum exciderunt, excidunt, & excident Cælo, & omni spe Cæli.

Deum immortalem! Quæ autem tantorum causa est malorum? - - - Scilicet originaria & remota causa est primum in terris, & unicum Adami peccatum, pec-

catum Originale, ad quod plectendum Deus enumeratas pœnas generi humano inflixit, & inflixit iustissime - - -

Horres tandem, ni fallor, Timothee, in pœnis unius peccati mortalis, etiam æternis, præsertim in Angelis peccantibus: ego in pœnarum causa. Ut mecum sentias, *intrinsecam* unius peccati gravis *malitiam* mecum considera, & enormitatem injuriæ, quam Deo infert, est velut infinita ob tres causas: 1. *Ob dignitatem summam offensi.* 2. *Ob vilitatem summam offendentis.* 3. *Ob qualitatem ipsius offense.* Sit ergo

PUNCTUM II.

Gravitas peccati mortalis in se ipso considerati.

I. **O***B dignitatem summam offensi; est enim peccatum transgressio libera Legis divine. Est ergo offensa Dei: inhonoratio supremi Domini: contemptus summi Legislatoris. per prævaricationem Legis Deus inhonoratur, * quia spernitur tota Majestas & Authoritas, quam Deus Legi suæ interponit. - - Ergo peccatum*

* Rom. 2.

tum grave est gravis offensa, gravis inhonoratio, gravis injuria, gravis contemptus Dei, non tantum metaphorice, sed formalis, actualis, propriissime: *gravis*, inquam, in terra *contemptus Dei*, quem omnes Angeli, omnes Sancti non possunt satis laudare, honorare, amare in Cælo. -- *Dei*, qui gaudium est Angelorum, Beatitudo Electorum, præmium Justorum, corona & satietas Sanctorum. *Dei*, aio, qui est Majestas infinita, infinite potens, infinite sapiens, infinite sanctus, infinite liberalis, infinite excellens in omnibus suis Perfectionibus, quarum singulæ deberent omnium corda hominum rapere. -- *Dei*, aio, quem diu, noctuque laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, sacrum illud trisagion sine fine ingeminantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. -- *Dei*, quem ipsi *dæmones credunt, & contremiscunt*. * - *Dei*, qui de se ipso testatur: *quoniam mihi flectetur omne genu Cælestium, terrestrium, & infernorum*.** -- Et *hic Deus* per peccatum graviter offenditur? graviter contemnitur?

Obstupescite Cæli! jure hic exclamat Bernardus: Majestatem adeo terribilem audet graviter contemnere vilissimus terræ

* Jac. 2. ** Rom. 14.

terræ vermiculus? - Atque hinc crescit gravitas peccati.

II. *Vilitatem summam offendentis* - - -
 Quis ergo Deum graviter offendit, spernitque?

R. Homo. - Vah portentum injuriæ! - Regem a Rege offendi gravis est injuria: a subdito, gravior: a vili mancipio, longe gravissima, atrox, enormis. Quid ergo foret, si quidam terræ vermis contra Regem insurgeret?

Quid igitur de Homine dicam? scilicet minus est terræ vermiculo: nihilum est: minus Nihilo. Cum Propheta regio fateri cogitur: * *Ecce! substantia mea tanquam Nihilum ante te, o Deus! Nihilum in essendo, Nihilum in durando, Nihilum in operando, nisi in omnibus concurrat Omnipotentia Dei.* - - Imo minus Nihilo est, quia jam ante nativitatem fuit abominatio Dei: ex utero mancipium diaboli: odium Cæli: victima inferni. -

Et tamen hic terræ vermiculus, hoc Nihilum, hic orci titio eo præterviæ ac furoris posse progredi, ut, dum Deum, infinitam Majestatem in Cælis adorant Angeli, non horreat eandem contemnere, & indignissimis modis laceffere,
 tracta-

* Pfal. 38,

tractare, conculcare in terris? -- O Cæli, o Cæli, obstupescite, & inferi! --

Quod Angelus, imo Princeps Angelorum Lucifer contra illam Majestatem voluntate solum inefficace ausus sit vel semel se se erigere, temeritas fuit, æterno digna inferno. Quis ergo infernus sufficiet ad tantam vermiculi imo Nihili *proterviam* digne plectendam?

Quantam autem? - - - Ipse Deus respondet: * *Israel! scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es.* - Scito iniquitatem tuam peccator, quia peccando prævaricaris in totam SS. Trinitatem: in Deum Patrem, tuum Creatorem: in Dei Filium, tuum Redemptorem: in Deum Spiritum S., Sanctificatorem tuum.

Audi nunc breviter, Timothee, justissimas Trinitatis querelas contra quemvis peccantem graviter, maxime Sacerdotem.

I. *Audite Cæli*, ait Deus Pater, & *auribus percipe, terra.* ** *Filios enutrivit, & exaltavit: ipsi autem spreverunt me.* Creavi eos ad imaginem & similitudinem meam, ad æternam & parem mecum beatitudinem, -- Dedi eis animas immortales,

* Jerem. 3. ** Loc. cit.

tales, meæ particulas æternitatis: nobilissimas tres Animæ potentias, meæ speculum Essentiæ. - - Omnia subjeci pedibus eorum, oves & boves universas, insuper & volucres Cæli, & pisces maris. *filios enutrivi*; usque ad delicias. Quid ultra debui facere?

Et exaltavi. Paulo minus minoravi eos ab Angelis, imo non Angelicæ, sed humanæ eorum Naturæ, ut super omnes Angelos exaltaretur, divinissimam Filii mei Personam hypostatice univi. Quid autem ipsi? *Ipsi autem spreverunt me.* - -

O injuriam, divino Patri æternum merito dolendam! - -

2. Sed & Filius æterni Patris ulterius ita conqueritur per totidem ora, quot pro nobis tulit vulnera. - *Filios enutrivi* cibo omnium pretiosissimo, plus quam Angelico, vere divinissimo Corporis & Sanguinis mei, - - An autem majus quid, & pretiosius ipsis dare potuissem, si fuissent Angeli, aut singuli Deus mihi æqualis? - -

Et per gratiam, quam ipsis probro-
fissima Crucifixione ac morte mea pro-
merui, *exaltavi* vermiculos terræ ad
dignitatem filiorum adoptivorum, fra-
trum, cohæredum meorum. - - **Po-
teram**

teramne eos amplius exaltare? - - -
 Quid autem ipsi? - - *Ipsi autem spreve-*
runt me. - -

Atque utinam (heu! quid dico?) uti-
 nam dico, o Timothee, utinam sper-
 neretur solum. Longe atrociozem Chri-
 stus injuriam per Apostolum suum con-
 queritur, dum ait, quod per quodvis
 peccatum grave homines *filium Dei con-*
culcent, & Sanguinem testamenti pollutum
ducant. *

Manhu! quid est hoc? quale, quan-
 tumque furoris, malitiæ, ac injuriæ
 portentum. Hircorum sanguinem, &
 porcorum studiose asservant: & sangui-
 nem testamenti, sanguinem JESU Chri-
 sti polluant, conculcant? O injuriam
 JESU Christi, nullis inferni flammis
 expiandam!

3. Nec minus Spiritus S. conqueri-
 tur meritissimo jure ac dolore per eun-
 dem Apostolum ita pergentem: *In quo*
(Sanguine) sanctificatus est, & Spiritui
gratie (tanquam Authori gratiæ, ait
 Corn. a Lap.) *contumeliam facit: nunc*
audi, quantam.

Lætus ille jam in Baptismo venit ad
 hominem: desponsavit illum sibi in Fi-
 de: per Gratiam sanctificantem verum
 Dei

* Ad Hebr. 10.

Dei Patris filium, verum JESU Christi fratrem & cohæredem, verum sui ipsius templum & Sponsum fecit. Ut fidem servaret, fideli æterna promisit gaudia: æterna infido minitatus est supplicia.

Quid autem peccator ad hæc? - - *Ipsi autem spreverunt.* Sciens ac volens supplicia, blanditias, promissa ridet, spernit: creaturarum vilissimas, sterco- ra voluptatum, cloacam inferni, soci- etatem damnatorum, æternitatem pœ- narum, imo & *diabolum Deo præponit*, ait Tertull. atque adeo *Spiritui Gratia* contumeliam facit, hominibus nunquam satis obstupescendam; hinc Deus ipsos Cælites in partem stuporis & admirati- onis vocat: * *Obstupescite Cæli super hoc, & portæ ejus desolamini! Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fon- tem aque vivæ: & fecerunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non va- lent aquas.* - - *Ipsi autem spreverunt me.* - -

Num major posset esse aut peccantis malitia, aut Dei injuria? imo utrum- que immensum auget.

III. *Qualitas ipsius offense*, seu - *Quali- ficantes grave peccatum Circumstantia,* & quidem.

Prima

* Jerem. 2.

Prima Loci, ubi peccatur. Filius prodigus, mortalium licet impudentissimus, saltem *in regionem abiit longinquam*, ne *presentem* offenderet Patrem luxuriose vivendo. Homo sciens ac volens graviter offendit Deum *ubique presentem*, omnia inspectantem. Ergo latro est, non fur; fur enim ex respectu Domini & Judicis noctu solum, & clam furatur: homo peccat in oculis, *Dei, Domini, Judicis* sui. Vah insolentiam! - -

Secunda Temporis, quo peccat: scilicet dum eundem, ne in nihilum suum recidat, Deus paterne conservat, tunc eum graviter offendit. - Vah! hæc non hominum, sed viperarum perfidia est, quæ matrem, dum nascuntur, occidunt! Tunc Deum graviter, peccator offendit, quando peccantem ab orco præ tot aliis præservat, in quem omnipotens posset, justissimus deberet cum peccantibus Angelis deturbare. Vah malitiam plus quam diabolicam!

Tertia Finis ad peccandum impellentis. - - *Propter quid igitur irritavit impius Deum? ** - - - Si regnum, aut mundum posset universum peccato minimo lucrari,

E

crari,

* Psal. 10.

crari, aut vitam sibi, & aliis omnibus conservare, non liceret illud committere. - - *Propter quid ergo irritavit impius Deum?*

Ad hanc quæstionem respondet ipse Deus: secus nemo hominum, nemo Angelorum crederet. Sic autem ait: * *Violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis, propter leve unius floreni lucellum, propter bestialem crapulam, propter momentaneam voluptatem, & quidem adeo obscenam, ut ejus ipsas quoque cubiculi tenebras non raro pudeat. Quid jam tu ad ista, Timothee? Audisti, quanta sit unius peccati gravis malitia, considerati tam in suis pœnis, quam in se ipso, & qualitate sua. Audisti, inquam, quam immensum ejus malitiam augeat infinita Personæ offense Dignitas: immensa offendentis vilitas: offense cum suis circumstantiis qualitas?*

Desine jam mirari, quod Deus uni peccato gravi ignes æternos decreverit. Mille superaddat infernos: neque tamen pro tanta sufficient injuria & contemptu: *Deus graviter offenditur propter pugillum hordei & fragmen panis.*

De-

* Ezech. 13.

Desino, ais, utique desino id mirari. . . . At præstupore fatis mirari non possum, quod cum Angelis saltem uno in inferno non ardeam. - - Equidem illi *graviter offenderunt Deum*: at *semel tantum*: ego toties eheu! - - Illi per *momentum*: ego per annos. - - Illi *unica cogitatione*: ego operibus. - - Illi, *sublimes Cæli Principes*: ego vilissimus terræ vermiculus. - - Illi *solum Creatorem suum*: ego *Creatorem, simul Redemptorem & Sanctificatorem meum*. - - Et tamen ubi sunt illi modo? - - - & ubi ego? - - -

Affectus.

Repeto, Domine Deus, & repeto millies: Ubi sum ego? & ubi non sum? - - Ibi non sum, in abyssu inferni non sum, ubi cum Angelis peccantibus deberem esse, & dudum fuisse. - - Hic sum, procul inferno: - - hic sum, proximus Cælo. - - Num autem vigilans somnio, an somnians vigilo? - - Imo non fallor. Adsto coram JESU Redemptore meo, at ignorans, quid loquar, aut cogitem. - - O JESU! O Deus! - - non jam ausim dicere *meus*, quia peccando te toties ultro perdididi! - - - Potuine autem ego pulvis

& cinis te Deum graviter offendere?
tuam Majestatem spernere? Bonitatem
tuam calcare? Deitatem tuam vilissimis
quoque creaturis, imo & diabolo post-
ponere? potuine? - - -

Potui eheu! & ipso opere feci: at
millies maledicta dies, qua id feci! - -
Vel meminisse horreo: fecisse doleo ex
toto corde, & amore tui super omnia.
- - Præ vehementia doloris jam plura
loqui non possum. - - - Malim autem
posthac cum S. Anselmo * purus & in-
nocens Gehennam intrare, quam peccati sor-
de pollutus Cælorum regna tenere. - - -
Quodsi prævideas, o Deus, me denuo
graviter peccaturum, jam nunc fulmi-
ne in orcum me deturba. - - Imo etsi
orcus, aut Cælum non esset, Amor mi!
nullum posthac peccatum! ** Amor mi! nul-
lum posthac peccatum! nullum, nullum.
Amen.

NB. Dic, ut supra, secreto Pater,
& Ave, & Confirma, o Deus &c.

*Reflexio unica super Meditati-
onem.*

Longe gravissima Dei injuria est om-
ne peccatum grave: at multo adhuc
gravior est in Sacerdotibus, ut fuit in
An-

* De Similit. 6, 199. ** S. Theres.

Angelis juxta Patres ob 4. circumstantias aggravantes. Peccarunt Angeli I. cum majori cognitione malitiæ peccati, adeoque cum majore malitia. - 2. Majore cum ingratitude, quia maximis, & innumeris a Deo cumulati beneficiis, favoribus, gratiis. - - 3. Majore cum damno, scandalo & seductione tertiæ partis Sociorum. 4. Majore cum obstinatione, quia indurati ad internas Dei illustrationes, & externam S. Michæelis admonitionem: *Quis ut Deus?*

Timothee! Scriptura frequenter Sacerdotes vocat. * *Angelos Domini*, non solum, quia utrique in pluribus quoad officium inter se conveniunt, sed etiam quoad circumstantias omne peccatum aggravantes. Certe peccata Sacerdotum præ aliis similia sunt peccato Angelorum.

I. In gravitate & malitia ob intellectum magis illustratum,
II. In ingratitude post collatos tot, tantosque favores, & prorsus singulares gratias.

III. In contagiosa infectione, dum peccando luem scandali, aut seductionis plerumque in æquales, in domesticos, in oviculas suas, in vicinos late spargunt.

IV. In obstinatione ac impænitentia. Sal-

tem legimus, audimus, videmus longe plures etiam latronum, homicidarum, imo & magorum serias conversiones, quam Sacerdotum. Nimirum * *Sacerdos caeleste tenet officium, Angelus Domini factus est. Tanquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur; inventa quippe in Angelis pravitas & districtius judicetur, necesse est, & inexorabilius, quam humana.*

Lege Thom. Kemp, Lib. 3. Cap. 14.

**Tertia Religionis Deo debitæ
pars sunt Preces diurnæ,
Seu
Horæ Canonicae.**

ORigo & causa recitandi Breviarium fuit, & est triplex.

I. *Dignitas Dei, ut Ecclesia militans in terris æmularetur triumphantem in Cælis, quæ diu noctuque Deum suum laudat, adorat, amat. quod cum major hominum pars, utpote innumeri sæculi curis, laboribus, negotiis impedita præstare non posset, ad id muneris Ecclesia Religiosos & Clericos, de honesta vitæ sustentatione securos selegit, destinavitque.*

II.

* S. Bern. in Declam. Ecce nos reliquimus.

II. *Necessitas Ecclesie*, ut a Deo impetret gratias ad debellandos, a quibus intra se & extra se assiduo impetitur, innumeros hostes necessarias.

III. *Utilitas, imo Necessitas ipsius Clerici*, ut per Orationem semper magis Deo uniatur: in quo nostra perfectio consistit.

Porro *obligationem, modumque* recitandi Horas Canonicas clarissime praescribit in Jur. Canon. Innocentius III. * his verbis: *Stricte praecipimus in virtute S. Obedientiae. En obligationem prorsus manifestam! - Ut divinum officium nocturnum & diurnum studiose (seu diligenter) celebrent, & devote. En modum exsolvendae obligationis!*

Diligentia requirit duo. 1. ut nulla pars omittatur, praesertim notabilis: quod ultimum foret noxa gravis. 2. Ut verba non truncentur, aut absorbeantur ex praecipitania, multo minus ex garrulitate cum aliis &c.

Devotio exigit 1. *Intentionem* aliquam, saltem *orandi*: omnis autem *Oratio* ex sua essentia est *elevatio mentis in Deum*. 2. *Attentionem* aliquam: aut *finalem*, ut saltem cogites, te loqui Deo praesenti: aut *materialem*, ut eum in finem rite

E 4

pro.

* C. Dolen. de celebr. Miss.

pronunties verba. Sufficit alterutra: aut (quæ est optima) *formalem*, ut pro viribus ad interiorum verborum sensum & significationem attendas, ac impleas, quod S. Augustinus suadet: *Si orat Psalmus, orate: si gemit, gemite: si gratulatur, gaudete: si sperat, sperate: si timet, timete: omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt.**

Timothee! O quot actus virtutum hac ratione posses exercere! quot merita, gradus gratiæ & gloriæ consequi? si saltem ante singulas Breviarii partes seu Horas devote cogites cum S. Ignatio: *Omnia ad majorem Dei gloriam: vel brevius cum S. Aug. no Propter te, Domine: vel cum S. Mechilde: Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo Patri persolvisti, hanc tibi horam persolvo.*

Devotionem mire promovebit observatio (etiam extra Chorum) *temporis, loci, situs.*

Tempus a Jure vel consuetudine præscriptum, servari debet, nisi necessitas, aliave legitima excuset causa. Ubi nota illud S. Aug. ni Qui orat ante tempus, Deum timet: qui orat in tempore, Deum laudat: qui orat post tempus, reddet rationem.

* Conc. 3. in Psalm. 30.

onem. Vel illud S. Bern. Breviarium dicere ante tempus, diligentia est: in tempore, obedientia: post tempus, negligentia.

Locus ad Breviarium aptior est locus a turba, risu, colloquiis & spectaculis remotus. Male Deus orando quæritur inter lusus, jocos, & epulas: & quomodo a Deo audiri te postulas, qui te ipsum non audis? S. Cyprian.

Situs sit decens & reverens, quia orans loquitur Deo, coram quo tremunt Angeli & Archangeli. Porro magis collectus erit animus orantis ex Breviario, quam ex memoria.

Tandem quia finis coronat opus, cum brevi contritionis actu Breviarium claudere per oratiunculam: *Sacrosanctæ & individue Trinitati &c.* quam recitanti Leo X. indulgentias & veniam culparum concessit, quas in recitatione Breviarii *fragilitas (NB.) humana contraxit.*

Aliqui, ut hætenus dicta opere exequantur, pie & utiliter Horas Canonicas accommodant Horis seu *Stationibus Christi* in sua Passione juxta antiquos versus:

Hæc sunt, septenis propter quæ psal-
(imus Horis,

Matutina ligat Christum, qui crimi-
(na laxat:

E s

Pri-

72 *Consid. de Obligationibus*

Prima replet sputis ; causam dat *Ter-*
(*tia* mortis.

Sexta cruci nectit : latus ejus *Nona*
(*bipertit.*

Vespera deponit : tumulo *Completa* re-
(*ponit.*

Examina te modo , Timothee , an ,
& quomodo haftenus seu utilem , seu
necessariam Breviarium recitandi me-
thodum & obligationem observaveris.
Si frequenter negligens fuisti , praeser-
tim si ad Chorum tenearis , vindictam
clamabunt *Deus* suo privatus honore :
Ecclesia necessariis per te destituta *Caeli*
auxiliis : *Fundatores* sanctam intenti-
onem suam a te pessumdatam videntes.

Quarta Religionis Deo debitæ
pars

sunt *Præces nocturnæ.*

Cubitum ire , artis non est , nec
virtutis ; nam & canes id faciunt , alia-
que animalia. At modo christiano , Cle-
ricali , religioso cubitum ire , virtutis
est : scilicet post *preces nocturnas.* Audisti,
quod *primitias tui cordis & vocis quotidie*
debeas Deo ; ergo multo magis noctu
debes *gratiarum actionem* pro beneficiis
interdiu a Deo collatis : *compensationem*
pro

pro injuriis eidem illatis: utrumque per *preces nocturnas*. Non peto longas a te, qui teneris ad Breviarium, utique satis longum. *Breve solum conscientiae examen* peto. An nimium peto, Timothee?

Utique *Christianus* es? ergo saltem Ethnicos imitare. Teste S. Hieronymo quotidianum noctu examen non solum gentiles Cicero, Seneca, Galenus, Pythagoras, Epictetus fecerunt ipsi, sed & suis præscripserunt discipulis.

Utique *Clericus* es, aut *Religiosus*? ergo fac animæ tuæ, quod sæculares suæ faciunt crumenæ. *Negotiator secularis* (verba sunt S. Ephrem.) *quotidie damna, & lucra computat marsupii.*

Utique es *peccator*, & *septies in die cadis*, * *etiam justus*, saltem in peccata venialia? ergo aliqua ratione tibi dico, quod S. Ambrosius olim dixit Theodosio Imperatori: *Davidem secutus es peccantem: sequere ergo & pœnitentem, qui noctu scopebat spiritum suum, & per singulas noctes lacrymis stratum suum rigabat.* **

Quotidie apud me causam meam dico: totum diem mecum scrutor: facta & diæta mea remetior. ita Seneca de se ***

I.

* Prov. 24. ** Psalm. 76. *** L. 3. de ira.

74 *Confid. de Obligat. Clerici erga Deum.*

Juvat ex S. Patre meo addere hujus
examinis praxin tam brevem, quam faci-
lem. Constat 5. Punctis.

1. *Redde Deo grates.*
2. *Pete lumen.*
3. *Discute mentem.*
4. *Delicti ve-
niam posce.*
5. *Recide malum.*

I. Per brevem oratiunculam *redde Deo
grates* pro acceptis, hac præsertim die,
beneficiis, o quot, & quantis!

II. Per piam aspirationem *pete lumen*
agnoscendi peccata tua. &c.

III. *Discute mentem*, breviter examinan-
do tuas obligationes, officia, peccata,
omissiones.

IV. *Delicti veniam posce* per actum
Contritionis.

V. *Recide malum* per firmum animi pro-
positum fugiendi non solum peccata,
præsertim gravia, sed & occasionem
proximam, ac media adhibendi.

Breve est, & in dies brevius erit hoc
examen, si fiat quotidie. Si diligenter
utaris, Timothee, novem tibi utilitates
obtingent, quas S. Bernardus de homi-
ne Religioso asserit: *Vivit purius: cadit
rarius: resurgit velocius: incedit cautius:
quiescit securius: irroratur (a Cælo) fre-
quentius: purgatur citius: moritur confidentius:
præmiatur copiosius.* Quem non alliciant
tot, tantique fructus ad quotidianum
examen? atque

Dies II. Medit. I. De morte. 75.

Atque ista sufficiant de nostris erga
Deum obligationibus, seu de *Religione*
Deo debita. Transeamus ad secundum
Recollectionis nostræ diem.



DIES SECUNDA.
HONORIBUS S.^{mæ} HUMA-
NITATIS CHRISTI SACRA.
De
PARTICULARIBUS MEDIIS
NOSTRÆ SALUTIS.

MEDITATIO I.^{ma}

De Morte.
PRÆPARATIO.

Memorare novissima tua: & in æternum
non peccabis: * & per consequens
æternum salvus eris. Id præ reliquis
efficiet memoria Mortis; impedit enim
peccata presentia: delet præterita: arceat
futura. Igitur mecum, Timothee, tres
Mortis proprietates considera.

I.

* Eccli, 7.

1. In se ipsa, & quoad substantiam est certissima. 2. Quoad circumstantias prorsus incertissima. 3. Satis certo talis, qualis erat vita. Qualis vita, finis ita.

Hæc tria ut possimus utiliter perpendere, ad te, o Lux mundi, cum Zacharia suspiramus: * *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis & salutis.*

Tu vero, o S. Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

PUNCTUM I.

Mors in se, & quoad substantiam est certissima.



Oriendum est: velis, nolis Timothee, moriendum tibi, hominibus omnino omnibus. Qui oritur, etiam moritur. Ita statutum est Lege universali Naturæ, & immutabili Lege Dei: *Statutum est hominibus semel mori.*** Hæc enim ipsissima est peccati originalis pœna; *Per peccatum mors:**** seu, ut loquitur S. Bernardus: *Mors operata est mortem, spiritualis*

* Luc. 1. ** Hebr. 9. *** Rom. 3.

alis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam. Moriendum.

Quidam Hæretici negarunt Immortalitatem animæ, Judicium Universale, Infernum, Cælum, imo & Deum. At qui mortem negaret, nemo usque adeo deliravit, ait Aristoteles. - Moriendum omnibus. - - -

Veritas hæc ex omnibus Religionis nostræ veritatibus *quoad nos* est omnium certissima, manifestissima, ad oculum evidentissima, At simul

PUNCTUM II.

Quoad circumstantias prorsus incertissima.

MOriendum tibi, & omnibus, Timothee. Ita nos docet Natura universalis, - totum genus humanum, quotidiana experientia, - - imo his omnibus certior Fides. *Statutum est* &c. At æque certum est Christi effatum: *Nescitis diem, neque horam.* * Adeo incerta, imo *prorsus incertissima est mors quoad circumstantias temporis, loci, & generis mortis.*

Tem.

† Matth. 25.

Tempus quod attinet, Quando morieris quando Timothee? Cogita. - - recogita iterum. - - recogita denuo, - - & dic mihi: Quando morieris? - - isto, vel sequente anno? - - hoc, vel proximo mense? - - hac, vel alia die, aut hora? - - - Ah! quid frustra te fatigo? *Nescis, nescis diem, neque horam, nec mensem, nec annum.* Id unum scis, quod nulla ætas, nulla sanctitas aut robur, nulla dignitas te a morte vel ad horulam possit securum reddere: id scis, quod juvenes æque ac senes, summos & infimos pariter mors rapiat: quod ipsos Christi interris Vicarios & summos Pontifices mors præcox abstulerit, ac 42. ex iis minus anno, 23. minus uno mense, 13. alios unico duntaxat mense regnare permiserit, ut teste S. Petro Damiano, Deus palam ostenderet, quod mors ex insidiis semper in tergo & pedibus nostris hæreat.

Nec ipsi adeo sanctissimi homines ab hac fatali *incertitudine* sunt, aut erant unquam immunes, *repente*, licet non improvise, mortui: ut S. Jordanus aquis haustus, S. Simeon Stylita junior fulmine ictus, S. Leodegarius cum Ven. Beda, S. Amatore Episcopo Antifidorenfi, S. Andrea Avellino & aliis pluribus *apoplexia*

plexia tacti: S. Agathon a leonibus, S. Bellinus a canibus discerpti. - - -

Neque vero, mi Timothee, ad accelerandam tibi *repente* mortem opus est belluis, Cæli fulminibus, terræ motibus, aut domorum ruinis, quibus tamen & similibus periculis continuo expositi sumus. Ad te *subito* enecandum sufficit quælibet debilis creatura. Præfocarunt Tarquinius nobilem Romanum unica *piscis spina* gutturi adhærens: Fabium Senatorem Romanum haustus cum lacte *pilus* capitis illapsus: Papam Hadrianum IV. *musca* cum aquis hausta: Poëtam vero Anacreontem unicum uvæ granulum seu *acinus*.

Num autem tu, mi Timothee, ab his fere quotidianis casibus exemptus es, atque securus? - - - Ostende sis ergo Privilegium, si quod habes. - - -

Et habeas sane. an ideo scis, *Quando*, quando sis moriturus? - - Ah! nescis profecto, nescis neque diem, neque horam. Id unum scis, quod Dominus venturus sit non ut cursor seu veredarius, qui cornu inflans jam longe suum nuntiat adventum, sed ut *fur**, qui non nisi noctu ex insidiis, clam, derepente supervenit nil tale suspicantibus, imo in

F

utram-

* Apoc. 16.

utramque aurem secure dormientibus.
*Qua hora non putatis, filius hominis veniet **
Nescitis.

At fors melius nosti *Locum*, *Ubi*, ubi morieris? - - - Fidenter igitur ediffere: *Ubi*, ubi morieris? - - an in templo, vel hospitio? - - an domi tuæ, vel in agro? - - an in illo consortio, occasione, domo animæ tuæ fatalissima? - - Ah! solus hæc novit, qui omnia novit, Deus. - - - Tu id solum nosti, quam plurimos, etiam Sacerdotes, mortuos esse in loco, ubi minime volebant, & ubi tu quoque nolebas, & nolles mori: in loco, quem adire non poterant sine scelere. - Id solum nosti, quod nescias *diem, horam, locum* mortis.

Sed esto: hæc scias; an propterea scies, **Quomodo** sis moriturus, & in quo animæ statu? in statu *gratiæ*, aut *peccati*? an morte æternum felice, aut æternum infelice? - - -

Quid si hoc momento deberes mori? - - Et vero potes hoc momento tam certe mori, quam vere Deus est Deus. Id si
 nega-

* Luc. 12.

negares, hæreticus fores æterna morte dignissimus.

Quid si, inquam, Timothee, hoc momento, uti certissime potes, mori deberes, ut tot millia Sacerdotum repente, *improvise*, infeliciter in statu peccati gravis sunt mortui? - - -

Superi! tantum a Timotheo meo averte malum! Statuit ille, ac firmiter statuit sinceram agere de præteritis pœnitentiam, atque ita posthac vivere omni *tempore*, omnique in *loco*, ut audeat *semper & ubique* mori, quia certus de morte, at incertus de omnibus ejusdem circumstantiis: probe autem gnarus, mortem plerumque *talem* fore, *qualis* fuerat vita: de quo fit Meditationis nostræ

PUNCTUM III.

Qualis vita, finis ita.

ITa haud obscure docet *Scriptura*, testatur *experientia*, suadet *Ratio*.

I. *Scriptura* per os Apostoli paterne monet omnes: *Nolite errare, Fratres mei: Deus non irridetur; quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.* *

F 2

En,

* Galat. 6.

En, Timothee! Veritas hæc tam clara & certa videbatur Apostolo, ut dicat, *Deum irrideri* ab eo, qui aliam speret mortem, quam fuerit ejus *vita*; quæ enim seminaverit homo *in vita*, hæc & metet *in morte*. Aliter qui speraret, certe *erraret*, & Deo *illuderet* - Aut an non *erraret*, quærit Doctor Angelicus, & mente aberraret? an non terræ *illuderet*, qui ab illa peteret, aut expectaret, ut ex *feminata avena* produceret *triticum*? - - Nimirum uti fruges sequuntur naturam feminis, & causæ naturales effectum producant univocum ac suæ speciei, nisi fiat miraculum, aut monstrum: ita in re & sensu morali quæ *seminaverit* homo in *vita*, hæc & *metet* in morte.

Hinc Deus per Prophetam: *Seminate vobis in Justitia, & metite in ore Misericordie.* - *Arastis impietatem: iniquitatem mesuistis: comedistis frugem mendacii.* - * Et ipse Christus: ** *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* - - -

Igitur, Timothee, ex hoc mundo nihil tuarum opum, nihil honorum, voluptatum nihil tecum auferes in morte, sed sola, quæ *seminasti*, opera tua, seu bona, seu mala: *Opera eorum sequuntur illos*: *** & talia quidem ordinarie, qualia fuerunt

* Ose 10. ** Matth. 7. *** Apoc. 14.

fuerunt in vita; *qualis vita, finis ita*: seu quod idem est: per vitam tuam Deo seruiisti tepide? non fervebis in morte. - Odisti eum in vita? non amabis in morte. Contra sincere eum in vita amasti? confide; & in morte amabis. - Vixisti in vera & constanti pœnitentia? nil dubita; & pœnitens morieris. - Quæ feminaverit homo *in hac vita*, hæc & metet *in morte*.

Plures adhuc hujus veritatis testes petis? En ergo: dabit illos

II. *Experientia in terris, in Cælo, & inferno.* His testibus

I. *Orbis terrarum* plenus est. Ita sane uno ore omnes loquuntur cathedræ, omnes scribunt calami, omnes profantur libri, adeo, ut proverbium jam sit: *Qualis vita, finis ita: vita qualis, mors est talis.*

Idem testatur communissima omnium Patrum, Theologorum, & Ascetarum doctrina, quod *saltem moraliter* impossibile sit, pie semper vivere, & male mori: aut male semper vixisse, & bene mori. - - - *Qualis vita, finis ita.* Saul vixit in superbia & fastu: & in iisdem mortuus est. Impie vixit Achab; & mortuus est in sua impietate. Induratum erat cor Pharaonis in vita; & tale fuit in mor-

te. Immortui sunt Sodomitæ suæ libidini : Israelitæ suo abdomini & gulæ , Rex Balthasar suæ ebrietati , Holofernes luxuriæ , Judas Iscariotes suæ avaritiæ. -- *Qualis vita , finis ita.*

Qui de hac veritate desiderat proximiora nostræ ætati testimonia & exempla , in probatis authoribus legere poterit funestos sæculi superioris casus de Sacerdotibus. Leget , quod Anno 1628. quidam Parochus : - A. 1639. alius 60 annorum Parochus , 90 annorum Senex : A. 1642. in Polonia Cracoviensis Prælatatus : A. 1643. in Ceila , Orientali Insula , Sacerdos : Circa idem tempus quidam in Austria Canonicus , olim degener Societatis nostræ filius : Leget , inquam , quod hi , & his similes suis immortalibus voluptatibus miserrime perierint.

Taceo plura ejuscemodi exempla tragica , unum præcipue horrendum , imo incredibile , nisi de ejus veritate (contigit enim nostra ætate) egomet testari possem , quod scilicet Parochus in ipso (horresco referens) turpitudinis actu repente crepuerit medius , obriguerit totus , carbone , imo dæmone nigrior. *Qualis vita , finis ita.* Testibus orbis terrarum plenus est.

2. Imo & *Cælum , ac Infernus.* Ipsemet

met

met utrumque inspice, Pauculos in Cælo, prorsus paucissimos invenies, qui aliter fuerint mortui, quam vixerint. . .

Inspice & *Infernum*: & mentiar, si unum, alterumve ibi reperias, quorum *finis non fuerit ita, qualis fuit vita.*

III. Quid plura? idem & *Ratio suadet*, ac persuadet; quid enim? *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.**

At enim quam in partem cadet arbor? - Ais: in eam utique partem, in quam prius jam erat *inclinata*. Ita sane *lumen rationis* & oculorum docet. . .

Non aliter in eam partem cadet moriens, in quam eum in vita semper *inclinabant* suæ passiones, suæ affectiones, suæ propensiones, maxime suæ consuetudines, seu totidem frondes ac rami vitæ nostræ.

Petunt quidam a Magis sibi in speculo monstrari, qua morte sint morituri. O Sacerdos, ait S. Ambros. *speculum non fallax*, vitam tuam inspice: & in hoc speculo tuam videbis mortem, & genus mortis tuæ: *qualis vita, finis ita*, si de *ordinario* divinæ Providentiæ cursu loquamur. Quis autem ex inveteratis peccatoribus sine præsumptione temeraria speret,

F 4

quod

* Eccl. II.

quod Deus in ejus gratiam *consuetum* suæ Providentiæ *ordinem* in morte sit immutaturus? . . .

Utique est *infinite misericors*: infernus tamen damnatis est plenus, quia Deus simul est *infinite justus*. Utique etiam in morte omnibus *sufficientes* dat gratias: attamen cum his plerique, aut fere omnes pereunt, ait S. Augustinus. Utique Deus - Homo in ipso veluti mortis articulo convertit, & salvavit pessimum latronem Dismam: at enim totam milies percurre Scripturam, ait idem S. Doctor: & nullum reperies alterum in agone conversum. Tunc Dismas salvatus est *unus, ne desperes: solus, ne presumas*. Ordinarie verissimum manet notissimum S. Hieronymi in lectulo mortuali effatum: *Vix unus de centum millibus, qui male semper vixerit, meretur indulgentiam in morte, vix unus de centum millibus.* . . .

Redi modo ad te ipsum, Timothee, & vide, an conformem perpensis hodie 3. veritatibus vitam duxeris.

I. *Mors in seipsa & quoad substantiam est certissima.* Et tu de morte nunquam serio cogitas? . . . Vivis, seu nunquam moriturus? . . . Aut num magis te posses temporalibus Bonis, forte & sensuali-

fualitatibus, forte & peccatis immergere, si certus esses, te nunquam moriturum? - - Imo salutarem mortis memoriam studio in te extinguis? - Horres, ac indigne fers, si in libris aut colloquiis memoria mortis tibi suggeritur? - - Num autem ideo mors non veniet? num tardabit? num ideo minus erit terribilis? - Nonne hoc est, mortem & separationem a terrenis cum tempore duriores tibi reddere, & amariores? - -

II. *Mors pariter est incertissima quoad circumstantias loci, temporis &c. scilicet. Ubi? Quando?* aut in quo animæ tuæ statu te sit occupatura? - Et tamen ad eam te non paras? non componis tuas conscientiae rationes? cum tamen error mortis in æternum non possit amplius emendari: *Statutum hominibus semel mori. Semel tantum?*

Deum immortalem! Ad omne iter longius & diu, & solícite te paras: lucra, aut damna œconomiae tuæ frequenter computas: in omni contractu, in electione Medici aut medicinae semper meliora, tutiora, certiora solícite adhibes: & ad iter æternitatis te non paras? animæ rationes non inis? In-

certissima sunt *tempus & locus* mortis: incerta pro illo tempore Confessarii copia, usus rationis, gratia Dei: & *incertis his eventibus te committis?* - Ah! memento, quod de anima loquaris, lamentatur Chrysostomus: de *anima - tua - una - immortal!*

III. *Qualis vita, finis* ita. Ex mille, ex decem millibus, ex centum millibus vix unus bene moritur, qui male semper vixit. - - Nemo audet sylvam ingredi, ubi tres, aut quatuor recens a latronibus fuere trucidati. Quam præfractæ igitur temeritatis ac insanix foret, qui audet ingredi viam ac iter æternitatis, ubi universalis hominum latro, Mors, tot millenos occupat improvise? mactat imparatos, corpus & animum mactat?

Et quid tibi fieret, Timothee? quid animæ tuæ, si Mors *hoc momento* te opprimeret? - - - Quid factum fuisset, si oppressisset illo & illo *tempore, die, loco, & in illo statu* animæ, quorum meminisse non potes sine horrore & pudore? - -

Ah! (cogitas cum gemitu) ah! - - -

Affectus.

O mi Servator amantissime! quid factum *me* fuisset? - - nempe actum
de

de me, ac æternum de salute mea fuisset actum. - - - Imo si *qualis vita, finis ita*, adhuc de me actum est; nam *vita præterita* non nisi pessimam mihi præfagit mortem, quia *mors peccatorum pessima*. * Si *præsentem* consulo valde *tepidam*, nescio fane, quid mihi sperandum magis, timendumve. - - Si denique *futuram* considero, heu me! *Gratiam finalem*, sine qua non est salus, meritus non sum: mereri non possum: nunquam potero mereri. - - -

Ita est, mi Redemptor, ita plane est: attamen Mors illa horribilis, quam pro me in Cruce subiisti: Sanguis ille pretiosissimus, quem pro me ad ultimam usque guttulam profudisti, dudum beatam mortem mihi promerere. - - -

Poteras enimvero, mi Deus, imo pridem debebas permittere, ut morerer in peccato mortali: id tamen non permisisti, quia *non vis mortem impii, sed ut convertatur a via sua, & vivat*. ** - -

Eum in finem mihi singularem, quam tot millenis negasti, hujus Recollectionis gratiam confers, ut me pro viribus ad bonam mortem possim disponere.

Obsequor, Domine, & jam nunc,
ut

* Psal, 33. ** Ezech. 33.

ut rite me disponam, *amore tui* perfectissimo *præteritam* detestor vitam, quia in peccatis transactam: *amore tui* emendo *presentem*, quia plane tepidissimam: *amore tui* dispono *futuram*, & jam nunc, quia forte tunc non potero, ad bonam mortem me dispono per actus theologicos, ad obtinendam bonam mortem omnium utilissimos: O mi Deus, inquam, *Credo in te*, quia es *suprema Veritas*, fallere & falli nescia.

Spero in te, quia es æterna Felicitas, & in promissis Fidelitas.

Amo te super omnia, quia es *infinita Bonitas*, & Bonum super omne bonum.

Gratias ago tibi pro omnibus beneficiis, quia es *summa Liberalitas*.

Adoro te, quia es *immensa Majestas*.

Protestor contra omnia peccata, imo & contra tentationes in morte fors occursuras jam nunc *protestor*, quia es *purissima Sanctitas*.

Sic denique in manus tuas commendo spiritum meum, corpus meum, & omnia mea. - - -

O bone JESU exaudi me: intra Vulnera tua absconde me,

Nec permittas me separari a te. Ab hoste maligno defende me:

In hora mortis, ah! in hora mortis
meæ

meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

NB. Dic, ut supra, *Pater & Ave.*

& *Confirma, o Deus &c.*

Adde unum *Pater & Ave* pro Sacerdote, qui *primus* e tua Dicecesi aut Capitulo morietur. At ferventer ora, quia forte *pro temetipso* oras.

Reflexiones.

I. Timothee! Morieris certissime, infallibiliter, necessario. *Statutum est.* Fac ergo ex necessitate virtutem. Relinque terrena *animo*, affectu, sponte, & cum merito, antequam *corpore* debeas necessario relinquere, fac ex morte initium melioris vitæ: nec differ bonam vitam usque ad malam mortem. * *quotidie* ergo *morere* cum Apostolo, ut uno die bene moriaris. Ista cogitatio amara est? Medicina est: amara, at salubris, fides & spes dulcem reddent.

II. Morieris. At *quando? Ubi? Quomodo?* - nescis. *Nescitis diem, neque horam.* - Mors opinione tua est propior. - Tres sunt, ait Hugo de S. Victore, mortis nuntii: *casus, morbus, senium.* *Casus* docet, mortem in insidiis latere;

Mor-

* I. Cor. 15.

Morbus, in propinquo esse: *Senium*, præsentem adesse. Longior vita non facit te melius dispositum ad bonam mortem, sed vita bona, ergo vive, ut cupis mori: & bene morieris.

III. Morieris, ut vixisti. Ordinarie *qualis vita, finis ita*: Quilibet optat cum Balaam Propheta: *Moriatur anima mea morte justorum*: * at melius diceret: *Vivat anima mea vita justorum*, ut moriatur morte justorum; nam *legi*, ait S. Hieronymus: *legi, relegi, perlegi, nunquam vidi pium hominem mala morte mortuum*.

Cape aliquot signa & prodromos secururæ bonæ mortis. Sunt autem I. *Labor pro gloria Dei & salute animarum*. Sic, teste S. Greg. Orsicianus Sacerdos ferventissimus in morte a SS. Petro & Paulo, aliisque Apostolis vocatus, & deductus fuit *ad præmia laborum*. 2. *Bona in omnibus operibus intentio*. Sic Ven. noster P. Nicolaus Lancicius in morte agebat: *Letus morior, quia omnia ad Deum direxi, & ad ejus gloriam*. 3. *Constans devotio erga Crucifixum & B. Virginem*. Sic piissimus noster Berckmannus, præter regularum libellum, ma-
nu

* Num. 23.

nu tenens *Crucifixi imaginem* ac *Rosarium* dixit in morte: *Cum his tribus libenter morior.* Sic S. Ludovicus, Episcopus Tolofanus, Caroli Siciliae Regis primo, post S. Francisci Seraph. filius, in morte continuo B. Virginem salutavit. Causam rogatus, dixit: *Morientem illa juvabit me.* Et juvit, ab Angelis in Cælos evectum comitata inter has voces; *Sic fit servientibus Deo in puritate.*

Vive & tu, Timothee, vita justorum, ut moriaris morte justorum. Verbo:

Ut felix moriari, modo bene vivere
(disce:

Ut felix possis vivere, disce mori.

Porro tria adhuc vehementer tibi commendo. Consule

- 1.mo *Tibi*, mature componendo rationes animæ tuæ.
- 2.do *Proximo* tuo, mature solvendo, si contraxisti, debita.
- 3.tio *Consanguineis*, mature, si licet, & placet, condendo testamentum &c., ut multa prævertas mala, tricas, lites.

Lege ex Thom. Kemp. Lib. 1. C. 23.

CON-

CONSIDERATIO

*Obligationum Sacerdotis erga
proximum.*

PRæcipue *Sacerdos Curatus*, seu *Pastor* animarum, quocum hodie potissimum mihi res & sermo est, ad *triplex* munus *sub gravi* obligatur *erga proximum*: quod *Christus Petro*, supremo animarum *Pastori* constituto, ad *trinam* responsionem, quod *ipsum amet*, innuit, & ter inculcavit: * *Ergo pasce agnos meos: pasce agnos meos: pasce oves meas*, siquidem *vere me amas*.

En, *Timothee*, *triplicem* *Pastoris* animarum obligationem, & *triplex* genus pascuorum, seu *triplicem* pascendi modum: *scl. pasce verbo: pasce exemplo: pasce Sacramentis*. **

I. *Pasce verbo oves*, seu *adultos*.

Gravissimam hanc obligationem omnes clamant *Leges*.

I. *Ecclesiastica*, quæ *Episcopum*, aut *Presbyterum*, qui *negligentius* circa *populum* agit, neque in *pietate* eos *erudit*, a *communione* segregari (*h. e. excommunicari*)
ju-

* *Joan. 21.* ** *S. Bern.*

jubent, imo deponi, si in ea socordia perseveraverit. Ita Can. Apostol. teste S. Clemente, Divi Petri Discipulo.

2. *Divina*, - Christus Matth. 28. Eunt ergo docete omnes gentes. - - Et S. Petr. * *Pascite, qui in vobis est, gregem.*

3. *Lex naturalis*, exigens pro foundationibus & stipendiis laborem; hinc Apostolus: ** *Qui non laborat: non manducet: neque alius datur titulus mensæ: - Et ab ipso Christo per trinam interrogationem: Petre amas me? diligis me plus his? juxta S. August. Interrogatur amor, & imperatur labor. *** - - Væ igitur, atque iterum væ illi, contra quem aliquando vindictam omnes clamabunt Leges! Audi fulmen Dei ad Prophetam: **** *Audiens ex ore meo sermonem, annuntiabis populo ex me. Si non locutus fueris, ut se custodiat impius a via: ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Animam pro anima, hinc Apost. ***** *Væ mihi, si non evangelizavero. & Isaias c. 6. *Væ mihi! væ mihi, quia tacui.****

G

Porro

* Ep. 1. Cap. 5. ** 2. Thessal. 3.
*** v. Corn. a Lap. in c. 21. Joan.
**** Ezech. 33. ***** 1. Cor. 9.

— Porro normam, modum & praxin evangelizandi suo nos exemplo docuit ipse divinus Magister J. Christus. Liceat singula paucis delibare. *

I. mo *Materias fidei*, seu Mysteria in se ipsis subtilia explicavit accommodatis ad captum Auditoris similitudinibus, parabolis, comparationibus e. g. de seminante semen suum, de piscatoribus, vinea, grege & pastoribus &c. *Et sine parabola non loquebatur eis.* **

Materias autem morum explicabat in *particulari*, excepto Luxuriæ peccato, quod vix tangere dignabatur. Item *materias* ad salutem maxime *necessarias*, seu *Veritates aternas* & *fundamentales* e. g. de pretio & immortalitate animæ, de necessitate Pœnitentiæ, de gloriæ cælestis magnitudine &c. sæpe repetiit, & inculcavit.

Econtrario *communia* Invidiæ, Gulæ, Iræ &c. *vitia* continuo perstrinxit; hæc enim per annum semel tantum corripere, idem foret, ac aerem verberare.

Hinc exemplo Christi Doctor gentium: *** *Filioli, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Eundem suis in Homiliis imitati sunt SS. Patres Chry-

* V. P. Segneri in *Instruct. Paroch.* & alios. ** Matth, 13. *** Galat, 4.

Chrysoſtomus, Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius &c., ubique inveſti in perjuriam, ebrietates, blaſphemias, luxuriam &c.

2.do *Formam*, ſeu elocutionem Chriſtus adhibuit quidem ſemper vulgarem, at ſimul *bene moratam*, & remotam ab omnibus facetiis, jocis, nugis riſum moventibus.

3.tio *Auditorum* nulli pepercit, neminem tamen *in particulari* gravius pupugit, quam optime gnarus, * *repugnante natura nihil medicinam proficere*, & juxta S. Aug. *a Prepoſitis Eccleſiæ objurganda eſſe peccata*, non peccatores.

4.to *Oravit* Chriſtus aſſiduo. Hinc toties erat *pernoctans in oratione*. - - *exiit in montem orare* ** Scl. ad fructuoſe perorandum opus eſt gratia Dei, ergo orandum. Paulus quidem plantat: Apollo rigat: Deus autem incrementum dat.

Vides hic Timothee, quare *parum* noſtræ *fructificent* conciones. Hoc tamen ſi citra culpam noſtram contingat, non debemus animo dejici, operæ pretium & præmium tamen feremus apud Patrem cæleſtem. *Medicus eſt Paſtor a-*

G 2 ni

* Aphor. Medic. ** Luc, 6. & 21.

animarum, *cura exigitur, non curatio* * -
 cura remunerationem meretur, & ob-
 tinet, licet non sequatur curatio. Quam-
 vis Æthiops, qui niger balneum intrat,
 niger egrediatur, tamen balneator nu-
 mos & mercedem accipit, ait S. Greg. M.

Haftenus dicta sufficiant de *obligati-
 one* verbo divino *pascendi oves*, seu adul-
 tos. Transeo ad alterum.

Pasce verbo agnos,

Seu

teneram juventutem.

Hinc alteram, & æque gravissimam
 obligationem, *Agnos* & *Agnellos*, seu
 teneram juventutem verbo divino, h. e.
 per *Catecheses pascendi*, *Curato* Sacerdoti
 pariter imponunt citatæ *Leges natura-
 lis, divina, & humana*, & tanto fortius,
 quanto magis ex hac instructione de-
 pendet salus animarum, decus & au-
 gmentum Ecclesiæ, conservatio Reipu-
 blicæ Christianæ, Gloria Dei & San-
 ctorum. Ideo Christus tantum semel
 petiit a Petro: *Pasce oves meas*, seu adul-
 tos: at bis: *Pasce agnos, pasce agnos* seu
 tenellam juventutem. Legi de hac ma-
 teria meretur Conc. Trid. Sess. 24.

&

* S. Bern, L. 4. de *Consid.*

& Sess. 5. c. 2. - - - *Necessitatem* præterea hujus muneris, imo & *præstantiam* suo nos exemplo Christus docuit, dum non tam conciones, * quam *Catecheses* habuit, imperitos Apostolos, rudemque plebeculam nunc docens *Pater Noster*, seu modum orandi: nunc explicans *Decalogum*, *Opera Misericordiae* &c.: attamen præcipue instruens parvulos; hinc: *Sinite parvulos venire ad me.* **

Christum hac in re strenue imitati sunt Apostoli, & SS. Patres Cyrillus Hierosol. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Nazianz. quorum *Catecheses* & *Libri catechetici* exstant.

Utinam hos & illi imitarentur, qui *Catecheses* parvipendunt, negligunt, ex causa levi, aut nulla omittunt, *imparati* instituunt, de quibus apud Isa. Deus. *** *Ubi est literatus? ubi est verba legis ponderans? ubi est Doct̄or parvulorum?* Et apud Jerem. **** *Parvuli petierunt panem: & non erat, qui frangeret eis.* Talis non esset Pastor, sed latro animarum; nam juxta Leges ***** *Ne carere videtur non solum, qui partum præfoecat, sed & qui alimenta denegat.*

G 3

Præ-

* V. Corn. a L. in C. 6. ad Galat.

** Luc. 18. *** C. 33. **** Thren. 4.

***** L. 4. ff. de liber. agnosc. & alend.

Præterea Christus fere eundem in concionando, & catechizando modum ac praxin adhibuit, nisi quod cum parvulis non solum paterne & mansuete, ut cum rudi plebecula, verum usque ad blanditias paterne egerit, illos ad se vocando, invitando, * *amplexando, imponendo manus super illos, benedicendo &c.*, indigne ferendo, quod Apostoli offerentibus Christo parvulos comminati fuerint.

Noverat scilicet divinus Magister, fustibus non capi aviculas, nec regi agnellos: dura agendi methodo parvulos a natura timidos non flecti, sed frangi, non mansuescere, sed efferari.

Si autem & parvuli, ut fit, in Catechesibus negligentes, pigri, inquieti &c. urgeri & stimulari indigent, urge (ait noster Possevinus) sed suavibus *verbis*, laudibus, promissis & munusculis, nunquam autem, præsertim publice in templo, *verberibus*, hoc munus licitoris relinque Ludimagistro, aut parentibus domi, hos mone, ut puniant reos, cogant pigros. Nisi parentes tuas audiant admonitiones, tandem minitare, ut potes, & debes, negationem Sacramentorum, aut etiam delationem ad Episcopum.

Deni-

* Marc. 10.

Denique audi Ascetæ pium Monitum
de Catechesi:

*Hanc magni semper æstima, ut par est æsti-
mari:*

*Sæpe tuis deprædica, ut par est commen-
dari:*

*Summo fervore explica, ut par est obser-
vari.**

P. S. Plurimum, Timothee, prode-
rit, si tu, Pastor animarum, ope Pa-
rentum & Magistratus politici scholas
publicas, ubi nondum sunt, teneræ ju-
ventuti erigas: ubi jam sunt, conser-
ves, & aliquoties visites, ut Ludi-
magister cum discipulis urgeatur ad
fervorem. Certe primum, quod di-
abolus Juliano Apostatæ ad extirpan-
dam Religionem catholicam suavit, fuit,
ut scholæ claudantur.

Jam ad te ipsum revertere paululum,
Timothee, & considera, *an, & quo-
modo* tuæ in concionando & catechizando
gravissimæ obligationi satisfeceris? *an,*
& quomodo exemplum, praxin, & se-
dulitatem Christi *imitatus* fueris? *Qua*
diligentia ad utrumque te *preparaveris?*
An non merito illud expertus sis: Qui
ascendit cathedram sine labore, descendit
e cathedra sine honore?

G 4

II.

* V. P. Tob. Lohner.

II. *Pasce exemplo.*

Timothee! Omnis quidem Sacerdos, imo & Clericus præ sæcularibus debet proximum bono exemplo ædificare; nam *bene attende*, ait S. Hieron. * - *quid agas. Vita tua ab eo tempore, quo Sacerdos es factus, facta est vivum exemplar. Laïcorum, & domus tua morum schola: nihilominus animarum Pastoribus major adhuc incumbit necessitas & obligatio, suis ovibus bono prælucendi exemplo. Utrumque clare asserit Scriptura. Christus vult, ut Apostoli, & eorum Successores fiat prius Sal terræ, deinde Sol, seu Lux mundi: Sal per exemplum, Sol & Lux per doctrinam: tandem concludit, ** Sic luceat Lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est. *** Consonat Paulus Titum instruens: In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum: & ad Timotheum suum scribit **** Exemplum esto fidelium in verbo, & conversatione, in fide & castitate, & patheticè S. Petrus ad Pastores animarum: ***** Pascite, qui in vobis est,*
gre-

* Ep. 3. ad Heliodor. ** Matth. 5.

*** C. 2. **** Ad Timoth, 1. c. 4.

***** Ep. 1. C. 5.

gregem, non ut dominantes in Clericis, sed ut forma facta gregis.

Hujus obligationis ratio a priori est, quia ex sanitate capitis & Pastoris ut plurimum pendet sanitas corporis & gregis; nam Pastor ovium ante eas vadit, & oves illum sequuntur. * - Qualis Rex, talis grex, - hinc Chrysofost. ** *Cum videris populum irreligiosum, sine dubio cognosce, quia in Sacerdotibus culpa est.*

Confidera ulterius, Timothee, quale, quantumque hominis dicam, an dæmonis, monstrum foret, si quis Sacerdotum, aut omnino Pastorum, loco boni exempli, daret scandala suo gregi, atque adeo ex Pastore lupus fieret, utique omnium perniciosissimus, quia sub pelle Pastoris personatus, formam canis pecuarii, & gregum custodis indutus, ad quem oves accederent, atque confugerent, quem deberent fugere cane pejus & angue, imo & dæmone. De tali, si quis daretur, merito Chrysofostomus rursus exclamaret: *Quid futurum, si agas lupum pro Pastore, prædonem pro gubernatore, carnificem pro Medico? ****

G 5

Ego

* Joan. 10. ** Homil. 2. *** Ep. 2. ad Olymp.

Ego quidem tale monstrum dari unquam potuisse, aut posse, nunquam crederem, nisi lamenta Dei audirem: * *Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos.*

At quid futurum illis? quæ pcena manet eos? . . . Ad hoc respondet ipse Deus, ita tonans: ** *Et nunc ad vos mandatum hoc, o Sacerdotes. Vos scandalizastis plurimos in Lege, propter quod & ego dedi vos contemptibiles: maledicam benedictionibus vestris - dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. Dei verba sunt in Sacerdotes Legis antiquæ, fulmina in Sacerdotes scandalosos novæ Legis. De his S. Greg. M. ait: *Prelatus (Pastor) tot mortibus dignus est, quot ad subditos exempla suæ perditionis transmittit.**

Tu, mi Timothee, ut ab his mortibus sis immunis, proximum sedulo pasce verbo, & exemplo: cave non modo omne scandalum formale, sed omne, quod facile posset fieri scandalosum - v. g. hospitia publica, choreæ prorsus omnes, joci illiberales, potus liberalior, familiaritas cum sexu altero. Ista si caveas, te, & tuos facile salvabis.

III.

* Jerem. 50. ** Malach. 2.

III. Pasce Sacramentis.

Sicut primarium Gregis Catholici pabulum sunt Sacramenta, queis vitam animæ oves & agni accipiant, conservent, finiant: ita primarium Pastoris Ecclesiastici officium & gravissima obligatio est, ut tanquam Minister Christi & Dispensator *Mysteriorum Dei* * ovibus illud pabulum administret non tantum in extrema, sed & gravi necessitate, saltem *Baptismi ac Pœnitentiæ*, etiam cum vitæ periculo e.g. in peste, vitæ insidiis &c. quamvis juxta communem tunc liceat cum expressa Episcopi licentia alium, sed idoneum substituere.

De ritibus & modo administrandi Sacramenta non est, quod hic tibi dicam, Timothee Melius, quam ego, omnia scis ex Ritualibus, Casistis, Theologis. Non tamen, ut spero, ægre feres, si extremo quasi digito *brevissime* attingam, quæ cum V. P. Paulo Segneri probatissimi Authores singulariter de Administratione Sacramentorum pluribus præscribunt: scil.

I. *Circa Baptismum.* Tuum est 1. Parochianos, præsertim *obstetrices*, aliquoties docere methodum rite baptizandi
in

* I. Cor. 4.

In casu necessitatis. 2. Patrilinos monere de contracta cum Baptizato & ejus parentibus *cognitione spiritali*, nec non gravi obligatione, eidem necessariam in rebus fidei instructionem, nisi a parentibus, aut aliunde possit accipere, vel dandi, vel procurandi. 3. Absolutam *Baptismi necessitatem* publice tuis aliquoties exponere, atque adeo suadere, ut subinde *Baptismum flaminis* eliciant, seu contritionem cum voto seu desiderio Baptismi. Non nunquam, saltem privatim, prae-gnantes monere, ut nimi a corporis agitatione, ira &c. fœtui ne noceant, sed B. Virgini, Angelo Custodi, SS. Josepho, Ignatio, aliisque puerperarum Patronis sæpius commendent.

II. *Circa Confirmationem* tuum est 1. Saltem semel in anno, præsertim ante collationem hujus Sacramenti, tuis explanare ejus Essentiam. 2. Utilitatem, 3. Necessarias ad digne suscipiendum dispositiones. 4. *Cognitionem spirituales*, ut de Baptismo dixi. 5. Nomina Confirmatorum, nec non Baptizatorum, uti & patrinorum, in Librum tuæ Parochiæ inscribere.

III. *Quoad Eucharistiam* tuum est, ovis tuis, præsertim rudibus, frequenter inculcare 1. Ejus Essentiam, & realem

in ea Christi præsentiam. 2. Frequentem usum ac utilitatem. 3. Schedas peccatæ tempore Paschali Communionis testes diligenter colligere.

IV. *Quoad Sacr. Pœnitentiæ* tuum est
1. Tuos frequenter, imo quam frequentissime (quod apud rudes plane necessarium est) docere necessarias ad hoc Sacramentum partes, earumque praxin, ac methodum. 2. Utilitatem frequentis Confessionis docere.

Præcipue autem te ipsum hic examina, an, & quomodo tuas in sacro tribunali partes agas, vel hucusque egeris: scilicet partes *Judicis, Medici, & Patris.*

Primo partes Judicis, ut scias æquam ferre sententiam, atque adeo ut scias *Scientia Juris* seu universali
1. Formulam absolutionis cum aliis ad Confessionem essentialiter requisitis. 2. Discrimen inter peccata venialia & mortalia communiter occurrentia. 3. Discrimen inter lepram, seu inter *circumstantias*, saltem quæ mutant *speciem*. 4. Latitudinem, vel restrictionem tuæ Jurisdictionis ac Potestatis in tuum pœnitentem, e. g. si forte innodatus est censura, aut casu reservato. 5. Obligaciones faciendi restitutiones, fugiendi occasiones proximas &c.

Præ-

Præterea ut scias *Scientia facti*, seu particulari, e. g. an *possis*, vel *debeas* absolvere peccatorem *habituum*, vel in occasione proxima constitutum, vel enormiter rudem &c.

NB. Hanc utramque Scientiam opus est comparare, aut munus sacri Judicis deferere. Sufficit autem conditioni hominum *commensurata*, adeoque minor in pagis, quam urbibus, ut notat Suarez.

Secundo. Qua Medicus teneris presentes morbos tollere per Media Curativa, futuros arcere per Præservativa. Inter morbos presentes sunt præcipue duo: Ignorantia mentis, & Duritia cordis: & quidem

1. Ignorantia necessariorum *necessitate medi* ad salutem. Tales juxta definitionem Innoc. XI. incapaces sunt Absolutionis, & ad Catecheses ablegandi.*

2. Ignorantia necessariorum ad valorem Sacramenti: seu *necessitate præcepti* de confessione omnium gravium, etiam alienorum peccatorum *quoad numerum & speciem*, post diligens examen occurrentium, de eliciendo dolore supernaturali, & proposito &c. &c.

Liberius autem, & severius licet procedere cum ignorante præcepta *naturalia*, quam *positiva*; prior enim ignorantia rarior

* Prop. 64. inter prohib.

rarior est, est raro inculpabilis, reclamante conscientia.

Notandum tamen, hanc ultimam ignorantiam, si tibi probabilius videatur innocens & *inculpabilis*, non statim tollendam, nisi valde probabilem spem fructus habeas: ne forte imprudenter ex materialibus peccatis facias formalia; hinc lente, sensim, caute cum tali pœnitente procede. Si autem ipse quærat, suspicetur, aut jam dubitet de rei veritate ac obligatione, hanc ei, at pedetentim, totam clare revela, etsi prævideas nocituram pœnitenti: secus errorem approbares: quod nunquam licet.

3. *Duritia cordis* major longe, & periculiosior, quem curare debes, morbus est, oriturque ex intellectu ignorante *malitiam* & *mala* peccati gravis. Igitur ista duo, postquam ipse domi in Meditationibus & libris rite expendis, indurato peccatori patethice ante oculos pone: scilicet quanta in quovis peccato gravi lateat injuria Dei, ingratitude erga Creatorem, Redemptorem, & Sanctificatorem: jactura gratiæ, animæ, & gloriæ: continuum damnationis æternæ periculum: incertitudo mortis, horror judicii divini, æternitas ignis Stygii.

Si necdum emolliatur, noli desperare.

re. Duræ quercus non uno sternuntur ictu. Jube eum post aliquod tempus redire: interea & ipsemet oret pro se, & tu ora pro ipso. Si redit, iterum iterumque *insta opportune, importune: argue. Obsecra, increpa, sed in omni patientia.* *

Noli autem increpare pusillanimes, ne desperent: nec vehementer contritos, ne deiiciantur: ante Confessionis finem, ne reticeant peccata territi. *Ordinarie loquendo*, suaviter agendum est cum parvulis & puellis: mansuete cum timidis & verecundis: fortiter, ac simul suaviter cum juvenibus: reverenter cum senibus: delicate cum Nobilibus ac Præpositis, semper aliquid mellis simul & fellis, aliquid laudis ac solatii aspergendo etiam tectæ, etiam necessariae reprehensioni: quæ quidem ordinarie non est adhibenda, nisi erga rudes, crudos, effrontes, incultos, & mitioris incapaces tractationis. *Universim loquendo*, melior est excessus suavitatis, quam rigoris juxta monitum Apostoli: *Fratres, etsi preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* **

Sed

* 2. Timoth. 4. ** Galat. 2,

Sed ais. Hæc omnia observare non possum, præsertim in magno pœnitentium affluxu.

Rc. Potes, ac debes. Nam 1. *Eligibilius est paucos audire complete, quam multos imperfecte*, recte ait doctissimus Paris. Cancellarius Joannes Gerson: uti melius est sanare paucos, quam medicinam applicare multis, at sine fructu. 2. Saltem unum ex notabilioribus peccatis in specie tunc se ige: nam in genere tantum reprehendendo induratum, frustra eris: imprudens ac fastidiosus, increpando singula in individuo. 3. Juxta Leges potest quis tribus verbis institui hæres bonorum temporalium: quidni & cælestium?

IV. Insuper *Medici*, etiam spiritualis, est, ægrum, quem curavit, a *recidiva præservare per salutaria media*. Talia, quæ præscribes, in genere & universaliter sunt 1. Certa, & brevis oratio coram Crucifixi Imagine cum contritione & proposito, at mane & vespere repetenda, etiam flexis genibus, aut expansis, si solus est, brachiis. 2. Frequentatio Sacramentorum, maxime Confessionis apud eundem, quem eligere voluerit pœnitens, aliquoties deponendæ: 3. Auditio aliquot Concionum, aut Ca-

H

teche-

techesium: Lectio libri spiritualis, aut ruminatio cujusdam veritatis æternæ v. g. de Morte Judicio, Inferno, aut de pœnis scelerum, qualia commisit pœnitens.

Atque hæc & similia possunt illi utilissime injungi pro pœnitentia Sacramentali: Uti & alia opera *aliunde debita*: e. g. Missa die Festo audienda, jejunium in Quadragesima; oratio aut opus ad lucrandas Indulgentias præscriptum: præcipue fuga certæ domus aut personæ ipsis jam toties exitiosæ &c.

Si hæc generalia nil proficiant (pergit peritissimus animarum Medicus Ven. P. Paulus Segneri) * descende ad particularia, & *habituatis* injunge

Blasphemantibus Sacramenta (aut *spurciloquis*, vel *jurando assuetis*) ut, *quoties* relabantur, *toties* noctu terram lambant, & *tot cruces* in ea lambendo efforment. Atque hos licet non nihil indiscrete corrigere, licet spes non sit emendationis, ait Conc. Lateran. **

Ebriis, ut ad tempus abstineant a certo potus genere, aut a popinis, aut in iis bibant cum-vel coram uxore, aut patrefamilias, hac enim ratione raro, aut nunquam inebriabuntur.

Luxu-

* In instr. Confess. ** Sess. 9.

Luxuriosis, præsertim mollibus, ut, si opera mortificationis externæ non possint obire, saltem mane diebus Festis ac Dominicis jejument, noctu soli certas fundant preces in loco obscuro, in mortuorum ossuario, aut super eorum sepulchra, maxime parentum: sæpius, & quidem, si fieri possit, eidem confiteantur: interea extra casum necessitatis complicem & scelerum consortem non adeant, non admittant, maxime noctu, solam, in tenebris, sine testibus &c.: multo minus in cubili &c.

Usurariis, injustis, & ad restitutionem obligatis. si dubia tibi videtur obligatio restituendi, differ absolutionem, dum melius rem intelligas: vel da illam, ac promittenti, se alios doctiores consulturum, & eorum consilia secuturum.

*Si autem certa est obligatio, ordinarie non absolve, nisi præmissa restitutione, si possit fieri, hanc autem si tibi, aliisque Confessariis jam aliquoties promisit, ac non præstitit, audacter ei absolutionem nega, utpote non satis disposito ad eam: cum juxta S. Aug. *Si res aliena reddi possit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: tum ne eum relinquant in periculo proximo retinendi aliena.**

114 *Confid. de Obligationibus*

Eodem fere modo ages cum *constitutis in proxima occasione*, quam possent, at nolunt deserere: maxime si illam *ultro* adeant, vel admittant: idque post jam dilatam semel, iterumque Absolutionem.

Experto crede mihi, imo expertissimis. Sæpe unica absolutionis negatio, aut saltem dilatio, mansuete ac paterne facta, apud induratos & consuetudinarios plus profuit, quam centum pœnitentiæ & adhortationes.

Tertio denique qua Pater in S. tribunali obligaris *ita parvum audire, ut magnum, quia Dei judicium est.* * Atque ad eo obligaris æquali omnes affectu paterne excipere, parves & magnos peccatores, *Quia peccator est, corripe: quia homo est, miserere.* **

Si præterea juvat communem Authorum de *Pœnitentiis Sacramentalibus* doctrinam audire, en breve ejus compendium. Pœnitentiæ.

1.^{mo} Per se loquendo, debent esse *commensurata* *** quantitati & qualitati peccatorum: attamen *accommodata* conditioni, statui, ætati pœnitentium; hinc ægris, infirmis, hominibus labore manuali plurimum occupatis, item adolescen-

* Deuter I. ** Jus Canon. *** V. Conc Trid.

olescentibus, aut feminis prægnantibus non facile jejunia, & peregrinationes injunges, aut preces nimis longas &c.

Mone tamen, ut defectum rigoris debiti suppleant sponte v. g. per internam devotionem, unionem suorum operum cum satisfactionibus Christi, per patientiam in adversis, aut duris laboribus, per eleemosynas, mortificationes liberas, Indulgentias &c.

2 do Si opus est graviore pœnitentias imponere, mone, multo graviore fuisse impositas in prima Ecclesia, longe gravissimas in Purgatorio imponendas, suavia esse omnia infernum jam merito, ut ait S. Bernardus.

3. tio Licet utique in Jubilæo & plenariis Indulgentiis solito minores, aut nullas imponere pœnitentias, id tamen, nisi expresse de Indulgentiis moneantur, apud rudes & rusticos non expedit, quia non amplius curarent gravitatem peccatorum. quippe quam solum ex gravitate pœnarum & pœnitentiarum metiuntur.

4. to Ordinarie contraria contrariis curantur, & curanda sunt, atque adeo peccata carnis per jejunia & carnis macerationes: peccata contra amorem proximi per opera Misericordiæ, elec-

mosynas &c. & sic de aliis, ut supra dixi fol. 82.

5.to Pro peccatis venialibus, ait S. Augustinus, sufficit quasdam preces imponere. Imo in maximis quoque peccatis satius est, cum brevi & parva pœnitentia mittere peccatorem in Purgatorium, quam nimis longa & gravi, quam non persolvit, in orcum: sicut & melius est, propter Misericordiam (Deo) rationem reddere, quam propter crudelitatem. Atque hæc sufficiant de Sacramento Pœnitentiæ.

V. Quoad extremam Unctionem, Timothee, tuum est 1. Ejus utilitatem, ac vim, ex opere operato augendi gratiam sanctificantem, minuendi pravos habitus hominis, uti & violentiam dæmonis, tuos docere. 2. Eisdem dedocere falsam persuasionem, quod inuncti vel certo, vel citius debeant mori, aut sub gravi peccato teneantur posthac ab omni etiam honesto saltu & choreis abstinere. 3. Monere, urgere, imperare etiam sub pœna, ut ægri tui mature petant Viaticum & extremam unctionem: tu vicissim neutrum differ, ubi probabile est mortis periculum. 4. Monere ægrum, ut, si velit, mature con-

dat

* S. Chrysoft.


dat testamentum, ordinet pia Legata, maxime autem. 5. Monere, ut solvat debita, aut securam disponat solutionem, ignoscat inimicis, restituat injuste oblata, restituat vero per se ipsum, non per hæredes. 6. Monere moribundum de Indulgentiis, si in mortis articulo ore, vel corde pronuntiet SS. Nomina JESU & Mariæ. 7. Eundem contra omnes dæmonis tentationes obarmare præcipue per Actus Fidei, Spei & Charitatis,

VI. *Ratione Ordinis* te ipsum discute, an non sis 1. Simoniacus *per munus amnu, a lingua, ab obsequio*, ut loquuntur SS. Canones. 2. An hætenus enumeratas, aliasque graves tuas obligationes erga proximum observaris. Denique

VII. *Ratione Matrimonii* tuum est 1. Sponfos rigide examinare de impedimentis matrimonii &c. 2. Examinare, an sciant *scitu necessaria necessitate medii, ac præcepti*: secus sine piaculo non potes copulare. 3. Monere, ut non cohabitent sub eodem tecto, nedum cubiculo: nec abutantur impie matrimonio, nec utantur: ubi aliis, etiam parvulis, possent scandalo esse. 4. Hortari serio Conjuges, ut prolem fasciis

118 *Consid. de Obligat. Pastoris animarum.*

adhuc ligatam nunquam eodem secum lecto, præsertim ad dormiendum: sex autem, vel septem annos natam eodem secum cubili, *si possibile est*, nunquam reponant: hoc ob seductionis, illud ob suffocationis pericula: uti pro dolor! centies jam contigit, contingitque. 5. Sæpe etiam uxoribus privatim inculcare obligationes erga maritos: utque septennes liberos (si fieri possit: & poterit fieri apud sollicitos parentes) diversi sexus in eodem lecto non collocent, nec famulos, famulasque in eodem cubili: ut præterea *saltem aliquoties* per annum filias & famulas (mares marito relinquunt visitandos) noctu visitent: ad quod, si periculum advertant, tenentur, rationem utpote pro animabus Deo reddituræ. 6. Non copulare Sponsos, antequam Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ obierint, & testimonium de eo attulerint.



DIES

DIES SECUNDA.

DE ALIO SALUTIS NO-
STRÆ MEDIO.

MEDITATIO II.

De Judicio universali.

PRÆPARATIO.

Non solum S. Augustinus trepide ex-
clamat: * *Væ misero mihi, cum vene-
rit Dies judicii: sed & S. Virgo & Martyr
Catharina & S. Cyprianus Martyrium* **
sub carnificis gladio pro Christi fide sub-
eundo Judicium timuisse leguntur. Quid
aliud ego miserrimus peccator tecum
exclamem, Timothee, quam: *Væ misero
mihi, cum venerit dies Judicii!* nam

I. *Judicabit nos Judex omniscius. Ma-
nifestari oportet* *** O pudor! O vere-
cundia peccatoris!

II. *Judicabit nos Judex equissimus. Ma-
nifestari oportet ante tribunal Christi.* **** O

H 5

de-

* Medit. c. 39. ** V. Surium.

*** 2. Cor. 5. **** L. c.

dedecus! o terror hominis! En 2. puncta terribilis hodiernæ Meditationis.

Maria, Mater gratiæ, Mater misericordiæ! quandoquidem in die Judicii nil amplius juvare nos poteris, saltem hodie tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsentata, o clemens, o pia, o dulcis, Virgo Maria!

Tu quoque, S. Michael Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo Judicio.

PUNCTUM I.

Iudex est omniscius. - - Manifestari oportet. Angeli tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum coget omnes ante thronum Judicis divini, homines ad unum omnes, vivos & mortuos: omnes quoque demones cum damnatis ex inferno: Sanctos omnes cum Angelis e Cælo. Coget omnes ante thronum.

Et coram his omnibus nos manifestari oportet ante tribunal Judicis omniscii.

Hic siste nonnihil, Timothee, & cum S. Basilio quatuor veritates serio expendere, non fabulas.

1. In claram lucem prodibunt *omnia* totius vitæ tuæ peccata *non successive & singillatim* ut in libro, sed *simul & semel* ut in pictura aut speculo expressa.

2. Prodibunt non solum verba & opera, sed & cogitationes ac desideria, fors homine indigna.

3. Prodibunt minima quæque, & occultissima, manifestante radio per Judicem divino immisso; fere ut incidens per obscuri cubiculi rimam radius Solis omnes pulvisculos & atomos manifestat.

4. Conclude jam cum S. Basilio, a primo rationis tuæ usu quanta vis peccatorum sine numero in cogitationibus, ac desideriiis - - sine mensura in verbis - - sine termino in operibus in lucem publicam sit proditura. - - - Et quidem cum omnibus *circumstantiis* loci, temporis, intentionis, durationis, scandali, & seductionis alienæ. - - -

Quanta autem confusio te obruet, si illa omnia coram tuis domesticis & Parochianis, coram tuis amicis & inimicis, coram Hæreticis, Turcis & Gentibus, coram Angelis & dæmonibus simul patebunt: Quantus tunc pudor te obruet? - - Te, inquam, Timothee, qui totus turbaris, si quando in publico Virorum gravium confessu de mendacio
aut

aut dolo convinceris? - - Qui toto tremis corpore, si debes, aut ultro vis generalem a tota retro vita Confessionem deponere? - - Qui, ne fama & honor tuus apud alios patiatur, tam studiose quæris latebras, noctem, tenebras, ut tua abscondas peccata? - - Te ajo, qui in furias abis, si publica in commedia aut convivio contra tuum honorem & characterem inter vernas, nebulones, aut triviales famulos locaris? - - Quantus, ajo, pudor & desperatio te obruent cum detracta hypocrisis tuæ larva te *Judex omniscius* toti manifestabit mundo, & post revelata vitæ tuæ crimina te inter latrones, adulteros, veneficos, imo & inter dæmones statuet? - - Tunc enim vero incipies, at frustra, dicere *montibus: Cadite super me: & collibus: Operite me.* - - *

Timothee! mihi crede. Si vel unicam semel occulte commisisses turpitudinem, eamque ego coram Ven. Confratrum tuorum confessu & Capitulo publice proponerem, profecto præ verecundia ac furore semianimis corrueres. - - Et *ubi?* & *coram quibus* confundereris? nempe coram manipulo hominum.

Superi! exclamat hic Augustinus: quid ergo fiet, si hæc turpitudō tua cum
omni-

* Luc. 23.

omnibus peccatis numero innumeris &c. coram Cælo, terra & orco, coram laicis te sanctioribus quondam manifestabitur? - Magna, *Vere magna confusio Sacerdotum, & omnium Clericorum, quando Laici inveniuntur justiores!* . *

Timothee! *Quid es miser tunc dicturus, cum vix justus sit securus?* - - *Quid excusabis? quid tuis prætendes peccatis? - an debilitatem tuam?* - At Christus opponet fortitudinem innumerabilium Martyrum, etiam Virginum, etiam Puerorum. - - *Num humanam obtendes fragilitatem?* - At dicet Christus: *Cur ergo tot insuper occasionibus & periculis te ipsum ultro exposuisti?* - - - *An denique corruptam accusabis naturam?* . . Sic autem naturæ Authorem, sic omnes Sanctos, eadem tecum natura præditos, contra te armabis. - - -

Quid ergo, quid es miser tunc dicturus? quid? - - Præsertim si accederet *alienorum* quoque multitudo peccatorum, quæ in tua Parochia, imo tuis in ædibus inter domesticos tuos per vetitas utriusque sexus familiaritates, colloquia, amores, procreationes &c. regnare scivisti, & pro munere tuo debebas, & facile poteris impedire: at neglexisti? - -

Si

* Chrysof. homil. 3.

Si ita esset, væ tibi coram divino Iudice, qui clamat: *Pastores! audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce! ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum.* *

Longe terribilius foret hoc fulmen, si (quod Deus avertat) factus ex Pastore lupus vita, moribus, exemplis, muneribus, lenociniis, alienas, aut omnino tuas seduxisses oviculas, non Dei Minister, sed diaboli. Tunc enimvero exigeret Iudex *oculum pro oculo, dentem pro dente, animam pro anima.* **

Quid ais? Hæc, aliaque omnia Confessionibus, imo & bonis operibus expiare jam studuisti? - -

Rc. Hoc ipsum extremam Iudicii diem facit multo terribiliorem, facit intolerabilem. *Cum accepero tempus,* *** ait Iudex, *ego justitias judicabo*, ipsa nimirum bona opera, & eorum intentionem, fervorem, intensionem &c. *Scrutabor Jerusalem in lucernis* **** Omniscientiæ meæ, accusantium Angelorum ac dæmonum, & Conscientiarum.

Quis autem audebit sine tremore coram purissimis Dei oculis comparere cum suis *orationibus* solum obiter, distracte, som-

* Ezech. 34. ** Deuter. 19.

*** Psalm. 74. **** Sopho. I.

somnolenter, etiam inter confabulationes & risus deproperatis? - - cum Missarum *Sacrificiis* sine prævía omni præparatione, sine devotione, cum tædio decursis? - - Cum suis *Confessionibus* ex consuetudine, sine motu & sensu interno, sine emendatione peractis? - - Cum aliis *bonis operibus*, quorum vix unum intra plures annos numeramus irreprehensibile? - -

O ergo clama mecum, *Timothee*, si sapias: imo clama: cum *S. Bern.* *Heu! quid tutum in Babylone, si in Jerusalem manet scrutinium?* - Clama cum *Davide*: *Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit? * Ah! centies clama cum eodem: Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. ***

PUNCTUM II.

Judex est equissimus. - - Manifestari oportet ante tribunal Christi.

HOrrendum est, judicari *ab omniscio* *Judice*: at longe atrocius est judicari

* *Psal.* 129, ** *Psal.* 142.

ri a *Judice equissimo*. Scio, In tribuna-
li *humano*, licet *Causa nostra*, res & spes
nostræ pessimo stent loco, favorabilem
tamen sperare possumus sententiam,
quia *Judicem nostrum* vel titulo cogna-
tionis aut amicitiae possumus *excœcare*,
vel donis *corrumpere*, vel precibus *fle-
tere*, vel denique per potentes alio-
rum *intercessionem* ad *miseriordiam* com-
movere, aut saltem ad altius tribunal ap-
pellare.

At vero, *Timothee*, miserrimum
te ante tribunal *Christi*, ait *S. Bern.*
Delicta tua negare non poteris *Omniscio*:
non excusare infinite *Sapienti*: *non fugere*
Immensum: *non appellare* a *Supremo*:
non impetrare veniam a *Justissimo*, secun-
dum omnem *Justitiæ rigorem* sine ullo
Personarum respectu judicante: *non ha-
bere refugium* contra *Omnipotentem*. --
Miserrimum te ante tribunal Christi! ---

*Quid es miser tunc dicturus? quem Pa-
tronum rogaturus? -- Forte tuum Cu-
stodem Angelum? -- Scl. quem toties
sprevisti. -- An Deiparam, commune
Refugium Peccatorum? -- Bene est: dic
ergo illi: Nosti utique, Virgo castissi-
ma, quot virginum tuarum lingua,
manu, moribus seduxerim: quot ani-
mas pretiosissimo Filii tui sanguine re-
demptas*

demptas neglexerim: quam raro, quam tepide illum, teque in vita coluerim. Nunc ergo *monstra te esse Matrem meam.*

En preces tuas, Timothee, non misericordiam, sed vindictam, & sententiam damnationis merituras!

Quo igitur ab hominibus & Angelis derelictus confugies? Scilicet supplex ad ipsius Iudicis tribunal misericordiam, in clamabis: misericordiam, o JESU! - Memento, dices, quod ad Cælum me creaveris: ad Cælum redemeris: ad Cælum sanctificaris! - - -

Bene (dicit Iudex) & opportune mea enumeras beneficia tibi collata. Redde ergo rationem de illis. Redde rationem de *Creatione*. Cælum & terram circumspecte, & vel unicam in illis creaturam ostende, quam non amore tui, tuis commodis, tuæ salutis creaverim, & tecum, per tot annorum millia conservaverim. - - -

Redde rationem de tua *Redemptione*. Nega, si potes. Nonne propriis quotidie oculis vidisti & hodie hic in valle Josaphat, in vicino monte Oliveti & Calvariæ vides, quanta ego - Deus - pro te, o vermis terræ, sim passus, ut tibi Libertatem filiorum Dei, gratias, Sacramenta ad salutem tuam mereri
I possem

possem? Quomodo iis usus, vel abusus es? - - -

Redde rationem *de Sanctificatione*. Te ipsum appello. Nunquid præ innumeris Gentilibus, Turcis & Hæreticis, etiam Regibus & Imperatoribus, te ad S. Baptisma, ad veram fidem & Ecclesiam vocavi? ad summam in terris dignitatem *Sacerdotii* te evexi? mille modis & gratis ad Cælum invitavi? - - -

Nunc ergo *judicemur simul*. * *Narra, si quid* (exceptionis, vel excusationis) *habes, ut justificeris*. - - - *Justissimam modo sententiam audi, æternum immutabilem*. - - -

Quam vero illam? - - *Timothee!* Si fueris e numero *Electorum*, cum istis tibi blanda & dulci voce dicet *Judex*: ** *Venite* mecum post cruces, pugnas, labores & ærumnas ad perpetuam quietem, ad gaudia, triumphos & gloriam. *Venite benedicti* non ab Abraham, Isaac & Jacob, sed a *Patre meo benedicti* æternum in sensibus, corpore & anima. *Possidete paratum* non solum Angelis, sed & *vobis Regnum* cæleste (non terrenum) in æternitatem possidendum. O dulciora omni melle verba *Timothee*. - - -

Si

* *Ila* 43. ** *Matth.* 25.

Si autem (avertant Superi!) causa caderes, & fores ex numero *damnatorum*, tonante ac tremenda voce tibi, ut omnibus damnatis, iratus Judex diceret: *Discede a me, maledicte!* En pœnam *damni*, seu perpetuam a beatifica Dei Visione exclusionem! *Discede a me*, Deo tuo, Patre tuo, ultimo fine tuo: - *a me*, a mea Matre, ab Angelis & Cœlitibus meis. - - - *Maledicte* in sensibus, in corpore & anima - *Maledicte* in te metipso, *maledicte* in tuis sociis, *maledicte* in tempore, *maledicte* in æternitate *Discede a me.* - -

At quorsum, Judex æquissime, quorsum a te discedat Timotheus? - - - Heu fulmen fulminum! *Discede in ignem* - - *Et in ignem æternum.* - . En pœnam *sensus!*

Eja, Timothee! juxta consilium Psalmistæ cito mecum * *descende in infernum vivens, ne, ut addit S. Bernardus, aliquando descendas moriens.* Vide ibi non te, quod Deus avertere dignatus est, sed tuum e. g. avaritiæ, gulæ, luxuriæ &c. *grave peccatum* (si vel unicum tale admisisti) horribiliter in aliis jam excruciatum: *ignem*, ajo, vide *æternum.* - Primo *ignem* considera: dein-

I 2

de

* Psal. 74.

de *eternum* perpende, tum utrumque
conjunge, *ignem eternum*. - - -

Ignem, dico, qui etiam in humanis
tormentum est ultimum & atrocissimum,
- - *Ignem*, quo nihil gravius in *natura*.
- - *Ignem infernalem*, quo nihil gravius
supra naturam in Omnipotentia Dei. - -
Ignem, cui noster ignis comparatus,
juxta Patres est fumus, umbra, pictu-
ra, nihil, ros amcenissimus. - - *Ignem*
dico, quo non solum corpus & caro
externa, sed & anima cum omnibus po-
tentiis suis intime ac immediate torque-
tur *miris, at veris modis*. * - - *Ignem*,
qui non, ut noster ignis naturalis, be-
neficium est divinae Bonitatis ad foven-
dum corpus, ad coquendos cibos, ad
exercenda opificia nobis conditus: sed
qui merissime est *subterraneus divina Ju-
stitiae in poenam thesaurus*. ** - - *Ignem*
dico, qui *paratus, porportionatus, com-
mensuratus* est non homini tenero, de-
licatulo, ex carne & sanguine ultra fi-
dem sensitivo: sed *** *diabolo & An-
gelis ejus*, spiritibus utique fortissimis
& insuperabilibus. - - *Ignem* dico, qui
ex quolibet damnato ignitam fornacem
effi-

* S. August. ** Tertull. *** Matth. 25.

efficit: * Pones eos ut clibanum ignis. - *
Ignem dico, & quidem æternum.

Ignem dico æternum, qui nec extinguitur, nec extinguit, quia damnati ** semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem. - - Ignem æternum, quia *** in gehenna miseris erit mors sine morte, finis, sine fine; quia ibi mors vivit, & finis semper incipit.

Timothee! cape tibi rudem æternitatis ideam. Numera, si potes, in toto terrarum orbe omnes omnium, quotquot fuerunt, sunt, aut erunt, hominum & animalium crines ac pilos, avium plumas - piscium squammas - grana segetum - gramina camporum - folia arborum - guttas imbrium, fluminum ac marium - arenas litorum & montium - flocculos nivium - lapillos grandinum - literulas librorum - cogitationes & volitiones hominum & Angelorum - instantia & minuta temporum. - -

Ex singulis enumeratorum unitatibus fac per multiplicationem mille millia - - ex horum singulis iterum fac mille millia millionum. - - Et postquam numerando tua succubuerit memoria, ac intel-

I 3

telle-

* Psal. 20. ** S. Bern. de dupl. confid.

*** S. Greg. L. 9. Moral.

tellectus, scias velim, te nec particulam aut initium æternitatis attigisse.

O mi Timothee, in camera charitatis te, omnes homines, præcipue Clericos jam interrogo verbis portæ inferni inscriptis: * *Quis habitare poterit de vobis cum igne devorante? - - Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? - - Quis? - Quis?*

Tune, mi Timothee, qui deliquium animi pateris, si improvise unica ignis scintilla, si unica olei aut ceræ ardentis guttula mantui tuæ incidat? - - qui offam, aut potum Caffæ aut Thee iusto calidiorem cum ejulatu evomis? - - Tune, homo delicatule, qui ferrum candens, aut fornacem immodice calefactam non audes digito tangere? - - - Tune, qui lamentaris de æstivo Solis calore? - de grossiore per æstatem toga? - - de ipsis etiam, at *nimum longis*, animi relaxationibus, deliciis, voluptatibus, conviviiis, lusibus & comædiis? - - Tune, inquam, habitare poteris cum *igne devorante? cum ardoribus sempiternis?* - - -

Ego quidem nec possum illud, nec potero; ** *quæ enim est fortitudo mea, ut*

* Isa 33. ** Job. 6.

ut sustineam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est.

Sed neque tu illud potes, Timothee, neque poteris, hinc pro me & te misericordiam imploro,

Affectus.

Misericordiam, o *Judex æquissime, misericordiam!* suspende vel tantillum sententiam. Unum nobis (mihi & Timotheo) medium super est, ac effugium, pro utroque appello, a *Judice æquissimo ac irato ad Judicem appello misericordissimum:* imo ad meum appello *Redemptorem & Advocatum.* - En! supplex accedo ad thronum *Gratiæ*, ad *Crucem tuam.* - Urique *justissimus es, Domine,* & *severissimus in tuo tribunali Justitiæ:* at non minus infinite *miserors in hoc throno Gratiæ.* - Igitur:

* *Juste Judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.*

Ah! hic in throno *Crucis & Gratiæ* donum fac remissionis.

** *Magdalenam absolvisti,
Et Latronem exaudisti,
Mibi quoque spem fecisti,
Recordare, JESU pie,*

I 4

Quod

* Ex Seq. Miss. pro Def. ** Ibid. ex Seq.

*Quod sim causa tuae viae:
Ne me perdas illa die.*

Ah! Domine! Si ego admisi, unde me tunc damnare potes: * tu non amisisti, unde me nunc salvare soles. Igitur meam tibi commendo, & trado animam: imo tuam debui dicere, quia opus manuum tuarum, opus Redemptionis tuae - - opus triginta trium annorum - - opus & pretium sanguinis tui. - - Audi tantum, o Redemptor amabilissime, audi. Vox Sanguinis tui clamat at te de terra, non vindictam, sed misericordiam clamat. - Aspice Vulnera tua, Crucem tuam, Sanguinem tuum.

** *Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti Crucem passus.*

Ah! ah! tantus labor, tantus sudor, tantus dolor, tantus cruor, ah! Tantus amor non sit cassus. - - -

Et sane non erit cassus. - o me felicem, & spe plenum! - Scio, Domine, scio. Non vis mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat. Volo una cum Timotheo converti, & tibi vivere. Scio, non damnas, nisi volentem. O JESU! nolo damnari. Nolo, Nolo. - - Intona centies: *Discede*

* S. August. ** Ibid. ex Seq.

scede a me, maledicte: ego tamen non discedam a te, Nolo damnari: nolo a te unquam separari.

Quodsi velut per vim me projicias a te, Sanguinem tuum (sed ignosce filiali audaciæ) Sanguinem tuum de manibus tuis, de pedibus, de Latere tuo requiram. Hac una spe fretus, teque, tuamque Crucem ambobus brachiis arctissime stringo; coram Cælo, terra, & orco solennissime protestor: nolo damnari: nolo a te separari. Nolo, in æternum nolo. Amen.

NB. Ut supra. *Pater, & Ave. Confirma, o Deus &c.!*

Reflexiones.

Ref. 1. *Judicabit nos de omni retro vita Judex omniscius. Absit ergo, ut vel ex pudore aliquid legam in S. tribunali, vel de novo peccem ob illud diabolicum: Nemo nos videt, Videt, qui omnia videt, Deus. Ergo, quod scire homines non vis, ne egeris: * quod Deum, ne cogitaveris. Deim (verba sunt ethnici, at christiane loquentis Senecæ) ** quid prodest, ab homine aliquid esse secretum, cum Deo nihil sit clausum?*

I 5

Ref.

* S. Euch. ad Valer. ** Ep. 81.

Ref. II. Judicabit nos sine ullo personarum, ætatis, aut conditionis respectu *Judex æquissimus*. Quid ergo consilii? - - Accipe illud ex ore Spiritus S. * *Ante judicium interroga te ipsum: & in conspectu Dei invenies propitiationem.* En (recte concludit S. Eligius) *satis delicate nobiscum agitur, quando in potestate nostra datur, qualiter judicemur.*

Ergo frequenter te sedulo interroga per quotidianum noctu examen, per accuratas confessiones, forte & generalem; nam ** *si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Ref. III. Ergo datur *Infernus*, seu *ignis infernalis*? Est articulus fidei: - - Et datur *ignis æternus*? - - Quam vere datur Deus: *Discedite in ignem æternum.* - - Et hic *ignis æternus* ardebit sine omni fine? sine omni spe finis? - - - Hæc est ipsissima essentia *æternitatis*. - - Et hic *ignis æternus* quemlibet (non pœnitentem) manet Laicum, Sacerdotem, Religiosum, vel unius, & primi, & momentanei gravis peccati reum? - - - Ita plane docent Deus, Scriptura, & infallibilis Ecclesia. - - -

*Ad hæc fulmina qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. ****

Timo-

* Eccli. 18. ** I. Cor. 11. *** S. August.

Timothee! totum te jam postulo.
Si haecenus nunquam peccasti graviter,
Deo & ejus gratiæ id debes. An ideo
securus es ab igne aeterno? - - minime
gentium. Cum omni veritate potes, ac
debes continuo, ut S. Ludovicus Ber-
trandus in lecto mortuali, exclamare.
*Ab! orate pro me, Fratres mei: possum enim
adhuc damnari: possum singulis momentis
aeternum damnari.*

Si autem vel semel peccasti graviter,
quid, obsecro, quid meritis es. - -
Ais: *Ignem aeternum meritis sum.*

Ita est, mi Timothee! vera loque-
ris, verissima. - - At cur nondum in
eodem arsis? - - - cur nondum ar-
des cum innumeris Angelis? - - cum
innumeris Sacerdotibus? - -

Ah Timothee! sine mora Cruci a te
affixum Servatorem tuum arctissime pe-
ctori tuo apprime: fræna affectibus tu-
is, forte & lacrymis laxa, & pro tam
singulari *beneficio* tuæ ab Inferno *preser-*
vationis singulares ei grates age, cum
teste S. August. longe majus beneficium
sit, non damnare inferni ignes prome-
ritum, quam damnatum subin ex iis
liberare.

*Loco Thomæ Kemp. lege, relegere
paradoxa seqq.*

Datur

Datur ignis æternus. - - Et dantur adhuc peccatores? - - Datur ignis æternus. - - Et innumeri sponte intrant? læti infiliunt? - - Datur ignis æternus. - - Et dantur adhuc tepidi Religiosi? discolori Sacerdotes? - impii Christiani? - Datur ignis æternus. - - Et credunt Christiani? - Et plenus est Christianis? - . Datur ignis æternus. - - Et de eo concionantur Sacerdotes: & magnam partem impletur Sacerdotibus? - - æternum arsuris? Datur ignis æternus. - - Et de eo frequenter differunt, legunt, cogitant, meditantur Religiosi: - - Et tamen Religiosis si non plenus, certe vacuus non est? - - -

En, Timothee, veritates sane paradoxas, quæ sunt æque imperceptibiles, ac ipse ignis æternus. Tu illas hodie amplius considera, & frequentius, una cum verbis S. Bonaventuræ: *Calum apertum est: infernus apertus est: in medio stat Christianus, Sacerdos, Religiosus. Fuge ergo intra - & extra domum tuam pericula peccatorum, si vis effugere flammam inferorum, nam qui amat periculum, in illo peribit, peribit, peribit.* *

DIES

* Eccli. 3.

DIES TERTIA.
HONORIBUS DEIPARÆ,
SS. ANGELORUM TUTE-
LARIUM, & S. PETRI
APOST. SACRA,

De
REDITU ANIMÆ AD DEUM.

MEDITATIO I.^{ma}

De Lapsu, & Pœnitentia Pe-
tri Apost.

PRæparatione opus non est hodie,
Evangelica enim historia de *Lapsu*
& *Pœnitentia Petri* adeo plana est, ut
expositione non indigeat, sed reflexi-
one tantum.

Reflectamus igitur hodie oculos *in*
Petrum, *Timothee*: imo a *Petro in nos-*
metipsos, & 4. Puncta consideremus.

I. *Petrus labitur gravissime.* - - Hæc
ad cautelam nostram.

II. *Surgit a lapsu velocissime.* - Hæc ad
confusionem nostram.

III. *Convertitur ad Deum perfectissime.*
- - Hæc ad nostram instructionem.

IV.

IV. *Recipitur a Deo suavissime.* - Hæc ad nostram consolationem dicta sunt.

Tu, mi JESU, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur ad te, & vivat: eaque de causa *Petrum* gravissime lapsum benigne *respiciendo* ad *pœnitentiam* perduxisti, me quoque, indignum Sacerdotem toties eheu! lapsum, eodem *Misericordiæ* oculo *respice*, & ut *Petrum*, ad dignos *Pœnitentiæ* fructus pertrahe. Id peto suppliciter, & spero firmiter per *Refugium peccatorum*, per Matrem tuam, *Ave Maria.*

PUNCTUM I.

Petrus labitur gravissime ad nostram cautelam.



T sane quomodo gravius poterat labi Petrus? - - - Alii, etiam profligatissimi peccatores, Deum quidem offendunt gravissime, frequentissime, impudentissime, at, etiam post oblatas a dæmone pecunias, post illatas a latronibus, aut Hæreticis verberum, mortisque minas, horrent tamen, renuuntque vel semel *Deum*, etiam ore tantum,

nega-

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 141

negare. Verum Petrus ter illum negat impudentissime. - - Negat, se quidquam scire de illo: Nescio, quid dicis. - - Negat suam oculorum evidentiam: Quia non vidi hominem. - - Negat alienam testimonium de visu experientiam, & unus contra omnes: Negavit coram omnibus. - - Cum omnium scandalo, cum ingente Dei - Hominis, Magistri sui probro non solum Divinitatem, sed & Humanitatem Christi nosse se discipulus negat: Nescio hominem istum. - - Negat hæc omnia non ex humana fragilitate, sed ex deliberatissima voluntate Iterum negavit cum juramento. Quid pertinacius? - - Denique convocatis omnibus proterviæ viribus perjurium cumulat perjuriis & mendacia confirmat execrationibus: Ille autem cœpit anathematizare & jurare, seque diris devovere: Quia nescio hominem istum, Quid atrocius? - - -

Atque ita effronter divinissimum *ter negat, & pernegat* Magistrum discipulus, non vinctus a milite, non examinatus a Judice, non tortus in equuleo, non adactus minis tormentorum, aut mortis, sed ab una imbelli femina, & inermi interrogatus milite cum perjuriis
suum

* V. S. Matth. c. 26.

suum negat & pernegat Deum ac Magistrum: *Quia non novi hominem, non novi.* - - -

Itane vero, o Petre, *non nosti hominem*, qui te ex ultima hominum face in discipulum, in Apostolum, in caput Apostolorum, in fundamentalem Ecclesiae suae Lapidem ac Petram, in suum per omnes terras Vicarium clementissime elegit? - - - *Hominem non nosti*, qui te praesente & oculato teste, tot ac tanta patravit miracula sanando aegrotos, ad vitam resuscitando mortuos, expellendo daemones &c. - - *Hominem non nosti*, qui locrum tuam liberavit a febribus. - - qui te super mare fecit ambulare? & ambulantem in fluctibus, ne perires, erexit? - - *Quid autem!* tu *hominem non nosti*, cujus Divinitatem adeo clare Pater caelestis tibi revelavit? - - quam ipsam tu cum- & praeceteris omnibus tam gloriose confessus es: * *Tu es Filius Dei vivi?* pro cujus defensione gladium paulo ante eduxisti? - - *Quem gloriosum ac transfiguratum in monte Thabor propriis nuperrime oculis vidisti?* - - *cujus carnem heri in Coena ultima manducasti, Sanguinem bibisti?* - - *Tunc hunc Deum*

* Matth. 16.

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 143

Deum - *Hominem non nosti*, a quo claves Regni Cœlorum, potestatem pellendi dæmones ac omnes morbos, resuscitandi mortuos, aliaque sexcenta patranda miracula accepisti? - - Itane tu *Hominem* - - Deum *non nosti*? - - -

Quis majorem unquam ingratitude, enormiorem pertinaciam? impudentiorem jurandi ac pejerandi proterviam? quis, ajo majores unquam lapsus in uno vidit peccato? - - -

Quænam autem sunt causæ tam portentosi lapsus in Petro? - -

R. Ipsissimæ, quæ vestrorum sunt causæ lapsuum: scilicet.

I. *Neglectus Orationis*. Ut oraret Petrus, suo eum exemplo per 3. horas in horto orans hortatur Christus: repetito monet verbis: *Vigilate, & orate &c.* - Singulariter Petrum monet, excitat, increpat: *Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare mecum?* - - Tamen non orat Petrus, - - Vah somnolentiam, & in orando negligentiam Christiano fatalem! nam, ut ait Chrysostr. * *in tentationem vadit, qui ad orationem non vadit.*

II. *Tepiditas*, quæ nascitur ex neglectu Orationis. Petrus sequebatur Christum,
K sed

* Serm. 43.

sed a longe tantum. Verbo: * *frigidus*
charitate solo corpore sequebatur.

III. & præcipue *Temeritas Præfidentia,*
 & *incauta Conversatio.* - Christum seque-
 batur in domum Caiphæ citra impe-
 rium ac necessitatem, O temeritatem!
 - - - Ibidem se immiscet militibus, fæ-
 ci hominum. Vah indignam Apostolo
 societatem! - - Duabus ancillis lon-
 gius colloquitur: imo quiete inter illas
 confidet. Heu! heu! periculum Viro
 etiam Apostolico formidandum! - - *Per-*
sistit diutius in occasione *proxima* jurandi
 ac peierandi: imo ad eandem *redit* post
 primum gravem lapsum. O temerita-
 tem! O præfidentiam! imo O lapsum
 hominis inevitabilem: ** *nam qui amat*
periculum, in illo peribit.

Equidem præmonuerat sollicitus Ma-
 gister: *Omnes scandalizabimini in me in*
ista nocte omnes. - -

Respondet Petrus præfidenter: *Etsi om-*
nes scandalizati fuerint in te, sed non ego: et-
si omnes, sed non ego. - - -

Pergit JESUS: *Amen dico tibi: Petre,*
tibi dico: Quia tu, Tu Petre, hodie -
in nocte hac - priusquam gallus vocem bis
dederit, ter me es negaturus. - -

At

* S. Laur. Justin. ** Eccli. 3.

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 145

At ille, impudentissimus, inquam, Petrus, amplius loquebatur: Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Ego non. - - Vah proterviam, Deum-Hominem mendacii, aut falsitatis potius, quam se humanæ imbecillitatis arguere! - - -

Sed cur Petro, & non potius nobis indignamur? Quid enim? Petrus bis a Christo monitus, semel tantum orationem omisit ex naturali verius imbecillitate; Oculi enim eorum erant gravati. Nos toties a Deo, a Custode Angelo, a Conscientia moniti & increpiti, crebro preces (utinam non Canonicas etiam) negligimus.

Petrus Christum saltem a longe sequebatur: nos ab illo longius quotidie recedimus per peccata, per tepiditatem &c.

Petrus famulis & militibus se miscet: & cur? - Ut videret finem, & quid suo futurum esset Magistro. Cur autem hodie Sacerdotes ultimo hominum fufuri se immiscent in hospitibus, popinis, orchestris? - -

Quodque caput, & fons omnium est malorum; Petrus, utut post efficacissima moriendi prius, quam Christum negandi proposita incaute vix semel

colloquitur feminis, & fortis postre-
mæ ancillis, eheu! mox titubat, ster-
nitur, gravissime labitur Atlas Apосто-
rum. - - Et tanti dux femina lapsus.

Et hodie non pauci Sacerdotes, & ju-
venes Clerici ac Religiosi, inter tantam
ad malum proclivitatem naturæ - inter
vehementes passionum inclinationes - in-
ter tot effrœnes carnis rebelliones - in-
ter assiduas sensuum illecebras - inter
validissimos dæmonum assultus - inter
plusquam diabolicam feminarum pro-
caciã - etiam post iteratos eheu! lap-
sus - post repetitam toties suam ipsorum,
& mille aliorum experientiam - non hor-
rent tamen cum procacibus, cum com-
ptulis Sirenibus, Petro longe incautiores,
conversari? - & diu, & sæpe conver-
sari? - - -

Superi! cecidere tot Cedri de Liba-
no, & sanctissimi Eremicolæ Macarii,
Victorini, Martiniani, Joannes Guarini,
Jacobi Pœnitentes, aliique in soli-
tudine & eremo lapsi Herœs. Superi!
*quid faciet virga deserti, ubi concutitur ce-
drus Libani?* - - * Quid illis fiet, qui
citra necessitatem juvenes & salaces puel-
las patiuntur suo in cubiculo? - vocant
ad ædes suas? - invisunt domi suæ? -
ultro

ultra adeunt dudum suspectas? jam sæpius sibi exitiosas? -- O palmarem, dicamne stultitiam, an cœcitatem? --

Timothee! si omnino domi tuæ (contra omnem spem meam) simile periculum lateret per salutem tuam juxta monitum Apostoli talem *eiice ancillam*: * nam ad te perdendum unica sufficit ancilla: sat s est una mulier.

Vagao videns capite truncatum a Juditha Holofernem in sanguine suo natantem, per castra exclamavit: *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis*, ** Aptius id ipsum ego dixerim de Petro: *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Christi*. Ad faciendam similem (inter Sacerdotes quoque) confusionem sæpissime satis fuit, estque una mulier: neque satis ab illa & lapsu defendit *loci sanctitas*, nec ulla *fortitudo - sapientia - virtus*, & *gratia* apud Deum. - Testes omni exceptione majores sunt *Proto - Parens noster in Paradiso*, *fortissimus Samson*: *sapientissimus Salomon*, *Vir sanctissimus & secundum cor Dei David cum mille aliis*, & quod caput est, *Petrus in schola Christi*, ad quorum confusionem faciendam satis fuit una mulier.

K 3

Ti-

* Ad Galat. 4. ** Judith. 14.

Timothee! similem horres confu-
sionem? horre ergo & mulierem, & sal-
tem disce firmiter stare cadente Petro:
at disce simul *ad cautelam tuam*, ipsas
adeo *petras* per unam mulierem posse
non solum, ut moveantur, *concuti*, sed
etiam, ut labantur, *prosterni*.

PUNCTUM II.

*Petrus a lapsu surgit velocissime
ad nostram confusionem.*

A Ut quid, obsecro, poterat esse ve-
locius, dum eodem fere momento
& ultimus peccantis *lapsus*, & *pœnitentia*
surgentis convenere. Scripturam audi.

*Petro adhuc loquente, seu peierante, con-
tinuo (nota connexionem) continuo can-
tavit gallus: nec frustra; nam surdo non
cecinit. - Quid ultra? Nihil ultra. Et
(sine ullo temporis intervallo) conver-
sus Dominus unico Bonitatis suæ obtutu
respexit Petrum. Nec plura. Et recorda-
tus est Petrus verbi JESU, & sine omni
prorsus mora egressus foras, flevit ama-
re. **

Nihil vel tantisper retardavit pœniten-
tiam

* Luc. 22.

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 149

tiam Petri. Idem prorsus erat: *conversus oculis Christus, & Petrus conversus corde; * fieri enim non potuit, ut in tenebris negationis permaneret, quem Lux mundi respexerat.* Eodem igitur instanti, quo Christus Petrum respexit, Petrus a lapsu resurrexit, & de peccatis suis dolens, *flevit amare, probe memor divini illius moniti: Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. ***

Timothee! Quamdiu jam, & quoties *conversus ad te Dominus realiter præsens in S. Hostia sub Missa, aut in Hierotheca majore (vulgo Monstrantia) morali obtutu benigne te respexit? - quoties eCruce? - in sacris imaginibus? - in libris spiritualibus? in animo & intellectu tuo, luce Veritatum æternarum illuminato? - in voluntate, eandem forti divinarum inspirationum ariete pulsans? - Imo nisi totus es cæcus, & surdus, etiamnum & continuo respicientem vides, & clamantem audis: Ecce! sto ad ostium, & pulso. Fili! præbe mihi cor tuum. *** Pulsans pulsat per stimulos Angeli Custodis, tuæque conscientia. - Pulsat fortiter per metum*

K 4

mor-

* S. Hieronym. ** Eccli. 5. *** Apoc. 3. & Prov. 23.

mortis, Judicii, & Gehennæ. - Pulsat suaviter per promissa Cæli gaudia: per quotidiana corporis & animæ beneficia. - Ni roties, & tam fortiter pulsanti Deo nunc tandem aperias cortium: si nunc quoque tardes converti ad Dominum, subito veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Ita clarissime Deus.

Neque tamen post has Dei minas, blanditias, & admonitiones ad Dominum converteris? - Erubescere autem, si quid honesti sanguinis, aut pudoris in te calet. Certe tam crude trivalem mendicum non repelleres a te, uti tuum repellis Deum. Sufficiunt ista ad tuam confusionem coram te, & Deo tuo.

PUNCTUM III.

Convertitur perfectissime ad nostram Instructionem.

Duo requiruntur ad perfectam peccatoris conversionem: I. Ut voluntas a peccatis avertatur ad Deum per propositum abstinendi a futuris. * Convertere ad Dominum, & relinque peccata. Brevius & clarius Augustinus: *Vera pœnitentia*

* Eccli. 17.

nitentia est, commissa plangere, & plangenda non committere :

O quam belle, quam perfecte Petrus utrumque implevit! - Non animo solum & toto corde suum detestatus est crimen, sed & lacrymis large deflevit : *flevit* : & quidem *flevit amare*. - -

Ut conversionem suam perfectissimam redderet, firmissimamque, *egressus foras*, occasionem fugit relabendi : fugit locum, personas, conversationem, queis ad peccatum fuerat inductus. Verbo. *Egreditur foras, fugiens omne cadendi periculum.* *

Imo, qui supremus perfectissimæ conversionis apex est, nunquam ad eam, aut similem peccandi occasionem rediit : tristem peccati commissi memoriam deposuit nunquam : singulis per vitam reliquam noctibus ad galli cantum surrexit, suumque, licet jam remissum a Christo, peccatum deflevit, & quidem diu, noctuque ad ultimam usque vitæ lineam ita amarissime deflevit, ut teste S. Sylvestro Pont. propterea usum & lumen oculorum amiserit, utut a Christo cum aliis Apostolis subin confirmatus in gratia, & certus de sua salute.

K 5

Et

* S. Leo Serm. de Pass.

Et tu, mi Timothee, etiam rite confessus vel unicum, si quod commisisses, mortale peccatum, nescis, eheu! nescis, an amore, vel odio sis dignus. * - - Post mille contritiones, confessiones, & absolutiones certus infallibiliter non es (sperare certo potes, & debes) de venia & gratia. - - Et esto: sis per divinam revelationem certissimus de remisso peccati seu culpa reatu, non ideo certus fores de remisso simul reatu poena terribilis, saltem in Purgatorio exolvenda; hinc merito Ecclesiasticus: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* **

Tu tamen, Timothee, per aliquot Pater & Ave, per trinam pectoris transfusionem, per duo aut tria cordis suspiria perfectam credis poenitentiam absolvi? totum poenitentiae tempus terminari?

Falleris, mi bone, *Christiana vita debet perpetua esse poenitentia*, ait Conc. Trid. *Homo nulli rei, nisi poenitentiae, natus est*, inquit Tertull.

Ejusdem mentis ac sententiae erant sanctissimi quique. S. Macarius ad Confratrum preces, ut ad ipsos exhortationem faceret, fleuit. Causam flendi rogatus: *Nil aliud*, agebat, *o Fratres mei, nil aliud agamus, quam ploremus in tempore,*
ne

* Eccl. 9. ** Cap. 5.

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 153

*ne plorare debeamus in æternitate. Thais, non minus a pœnitentia, quam sceleribus notissima Thais, 30. omnino annis assiduo ea deflevit. Idem M. Magdalena fecit, licet ex Christi ore generalem acceperit absolutionem: Remittuntur tibi peccata tua. Vade in pace. -- * Post simillimam ex Propheta Nathan auditam absolutionem: Transtulit quoque Dominus peccatum tuum, ** pœnitens David de se fatetur: Dolor meus in Conspectu meo semper, & cogitabo pro peccato meo.*

Sed quid peregrinis opus exemplis? Nostrum Pœnitentiæ perfectissimæ Speculum Petrus non ante destitit sua deflere peccata, quam flendo lumen oculorum & vitæ amiserit.

Profecto, Timothee, aut hi sanctissimi Pœnitentes in suo de perfecta & constanti pœnitentia iudicio semet ipsos, nosque deceperunt, aut nos turpissime decipimur, tam brevi, quam levi pœnitentia contenti. *Hæc ad nostram instructionem.*

PUNC-

* Luc. 7. ** Psal. 37.

PUNCTUM IV.

A Deo recipitur suavissime ad nostram consolationem.

Nunc tandem, Timothee, nunc omnes corporis, animique vires collige: laxa cordi & gaudiis habenas, quoniam videbis, quam suavis sit Dominus, & quam suaviter JESUS penitentem recipiat peccatorem.

Quod Christus Magdalenam, quæ erat in civitate peccatrix, post fusas aliquot lacrymas statim ab omni peccato absolverit, pro singulari Bonitatis divinæ prodigio agnoscit Bernardus, dum stupens exclamat: *Sine ullo intervallo conjunguntur & lacrymæ Penitentis, & Misericordiæ Salvatoris.* * Melius ego dixerim de Petro: Sine ullo intervallo conjunguntur & scelera peccantis, & Misericordiæ Salvatoris, cum hic suavissime respiciat pejerantem, misericordissime insequatur fugientem, amabilissime trahat anathematizantem, in gratiam benignissime recipiat prope adhuc nolentem. - -

Meliori igitur jure istud cum S. Leone obstupesco tanquam prodigium prodigiorum

* De Convers. Magdal.

digiorum divinæ erga tantum peccato-
rem Misericordiæ, quippe quam Chri-
stus, sui pene oblitus, Petro exhibuit
*inter calumnias Sacerdotum, inter falsi-
tatem testium, inter conspuentium injurias
constitutus.* - O prodigium prodigiorum
Misericordiæ Christi! - -

Nulla præterea verbulo, signove
sua Petro delicta, ingratitude Apo-
stoli, impietatem filii, perfidiam disci-
puli, unquam seu publice, seu priva-
tim exprobravit Christus; id unum le-
gitur: *Respexit Petrum amabilissime: in-
gratiam recepit suavissime.*

O Timothee! O mi Timothee!
Quis jam tibi ad hæc sensus? An præ-
solatio & fiducia in Deum ultra tibi po-
tes temperare a lacrymis & affectibus
spe ac amore plenis, dum tantam Dei
Misericordiam erga Petrum, erga te
& quemlibet pœnitentem audis? - -

Sed quæso, Moderare adhuc paulum
affectibus tuis, & vide prius, quam
singularibus pœnitentem Petrum Chri-
stus cumularit favoribus, exaltarit ho-
noribus, fovit amoribus. Age enim;
cui *præ omnibus Apostolis* nuntiari primo
voluit gloriosissimam Resurrectionem
suam? - - Nunquid Andreae, qui *pri-
mus*

mus Christum secutus, atque ad Christum adduxerat ipsum adeo Petrum? - - Imo nuntiari *primo* voluit Petro, ter perjuro, perfido, blasphemus. - - - Cui deinde *ante omnes Discipulos* divinam dedit potestatem solvendi peccata, & ligandi? claves Regni Cælorum custodiendi? - - Petro dedit, maximo ex Discipulis peccatori. - - Et quem Apostolico *præfecit Collegio*, totique *Ecclesie*? - quem suum in terris *Vicarium*, in Cælis *Clavigerum* constituit? - - Haud dubie Joannem, ab innocentia & virginitate sibi ex merito præ omnibus *dilectissimum*? - - imo Petrum plane *frædifragum*. - - -

Næ ego hic non possum non exclamare cum S. Paulo: * *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*: aut cum S. Maximo: ** *Petrus postquam fidem se perdidisse deflevit, majorem gratiam reperit, quam amisit, in Christo expertus Solem, in se vero Lunam deficientem, que quando longius abit a Sole, tanto largius illuminatur*. *** *Petrus autem sequebatur Christum a longe*.

Quid tu jam ad ista dicis, aut cogitas, Timothee? Nunquid felicem prædicas

* Rom. 5. ** Homil. 4. de Petro. *** Apoc. de Sac. Deorum.

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 157

dicas Petri pœnitentiam, tantasque collatas a Deo gratias sancto Petro invides? - -

O mi Timothee ! nullam habes causam invidendi, mille autem causas tibi gratulandi, & perennes Deo grates agendi ob non pauciores tibi, quam Petro, gratias exhibitas. - - *Non pauciores autem?* - - Ita plane est, Timothee. Te ipsum appello testem.

I. Petrum benigne respexit JESUS: at non invitavit, non vocavit ad se verbulo: te vero quoties? ah! quoties (ut superius indicavi) ad se, & ad pœnitentiam non modo per internos animi motus &c., sed & per externas Patris tui spiritualis, Concionatorum, & librorum spiritualium exhortationes, per adversa, per alios mille modos vocavit, invitavit, urfit, traxit? - - -

II. Petrum non nisi post fusos lacrymarum imbres recepit in gratiam: te vero post internum duntaxat cordis motum, & dolorem.

III. Petrum recepit, ex gravi mortis, aut grandium malorum metu, etiam in virum constantem cadente lapsum, & brevi tempore persistentem in peccato: te vero, postquam sine minis tormentorum aut mortis ex mera voluptate

ptate & petulantia Deum graviter, forte & sæpius, offendisti, & in peccato longius perseverasti.

IV. Petrum solummodo respexit JESUS, nullo dignatus verbulo, aliove singularis cujusdam beneficentiæ signo, tibi vero, velut alteri filio prodigo, quanta, obsecro, benevolentia, amoris, summæque beneficentiæ signa post pœnitentiam tuam ocyus exhibuit, dum tibi in suæ contestationem lætitiæ paravit convivium.

O quale, quam pretiosum illud convivium! non aliud scilicet quam cæleste, quam Angelicum, quam divinum sane convivium, in quo suum tibi Corpus in ferculum, Sanguinem dedit in poculum.

Ad istud porro spectaculum Angelos & Beatos omnes invitavit, ut de te pœnitentiam agente gauderent secum, & magis gauderent, quam supra 99. Justos. Congratulamini mihi, continuo ingeminabat. * *Congratulamini mihi, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit.* Mortuus per peccata, revixit per pœnitentiam.

Audistin' autem nomen tuum, Timothee? - *filius meus*, ait, *filius meus*, non

* Luc. 15.

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 159

non solum, ut alii homines, quia eum ad imaginem meam *creavi*, tamdiu *conservavi*, in Regni mei hæredem *adoptavi*, Sanguinis mei pretio *redemi*, sed ideo singulariter **filius meus**, quia eum tamdiu in Domo mea, in mea Regia & templo, inter meos singulares Servos, inter familiares meos, Amicos & Proceres, inter consecratos mihi Sacerdotes tam pretiose alui, tam benigne fovi, plus quam paterne *conservavi*. - Ideo præcipue *filius meus*. - - -

Timothee ! quid ultra ad solatium tuum posset addi? - -

Sed adhuc unum. - *Quoties* autem JESUS Petrum recepit in gratiam? - *Quoties*? - Videlicet *semel tantum*. - At tamen & hæc erat specialissima Christi erga tam magnum peccatorem gratia. - - Quodsi vel semel adhuc in priora scelera fuisset relapsus, nescio sane, an non in orcum simul lapsurus fuisset Petrus: id quod tot alii post iteratam a prima pœnitentia, vel primam lethalem noxam eheu ! sunt experti.

Timothee ! *Quoties* autem tibi misericors Deus gravia post pœnitentiam iterum, iterumque remisit peccata? - - *quoties*, inquam? - - Ah ! nolim ego te molesta hac interrogatione diu tor-
L
quere.

quere. Tuam ipse conscientiam secreto consule. - - -

Et tamen (quis credat?) *toties* pariter modo sane misericordissimo Deus in gratiam & amicitiam te recepit: imo & hodie, dummodo veram & constantem agas pœnitentiam, te recipere est paratissimus. *Aspice tantum, inquit Augustinus, Caput ejus jam inclinatum ad te osculandum: Cor apertum ad te amandum: Manus extensas ad te amplectendum: totum Corpus expansum ad te redimendum.* - - -

En, mi Timothee! Illi ipsimet oculi, quibus Petrum respexit JESUS, nemini sunt clausi, omnibus aperti. Ut & te respiciant, solum opus est, ut ipsum prior aspicias. * *Convertimini ad me, ait, & convertar ad vos.* Inspice ergo, pergit Augustinus, *inspice vulnera pendentis: inspice sanguinem morientis: inspice pretium redimentis, & ex corde mecum suspira:*

Affectus.

Christe JESU, Servator amantissime!
 Miserere. ah; ** *miserere mei Deus, secundum magnam Misericordiam tuam:*
 nam

* Zachar. 1. ** Psal. 50.

De Lapsu & Pœnitentia Petri Ap. 161

nam magna sunt peccata mea. - Et secundum multitudinem Miserationum tuarum dele iniquitatem meam, quia & multa est iniquitas mea. Hinc præ pudore & horrore cum Publicano non nisi * stans a longe, nolim oculos ad Cælum levare, quia peccavi in Cælum & coram te: sed percutiens pectus meum, non aulam hodie aliud dicere, quam cum eodem Publicano: Deus! propitius esto mihi peccatori! - - Confiteor publice: Peccavi nimis. - - Mea culpa in cogitationibus, & desideriis. - - Mea culpa in verbis. - - Mea maxima culpa in operibus & omissionibus. - - -

At felix culpa, quæ talem meruit habere, habetque Redemptorem! - - Hoc uno fretus titulo, ad te, licet indignissimus, ** levo oculos, qui habitas in Cælis: imo qui nobiscum habitas in terris, verus Emmanuel, seu nobiscum Deus!

Procidens olim ad genua tua Petrus dicebat: *** Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. - - Ego autem ad pedes tuos procidens, supplex rogo: Mane apud me, Domine, quia homo peccator sum; non enim opus est Medico valentibus: nec opus est Salvatore justis,

L 2

justis,

* Luc. 18. ** Psal. 127. *** Luc. 5.

justis, sed peccatoribus, qualem me palam profiteor.

Igitur *Ostende mihi faciem tuam, & salvus ero.* * Ah! respice me pœnitentem, ut Petrum respexisti in peccatis adhuc hærentem. - - Quod si faciem tuam avertis a me, in te ipsum tuos converte oculos. ** *Vulnera manuum tuarum, precor, ut aspicias. Ecce! in manibus tuis descripsisti me. Lege ipsam scripturam: & salva me. Amen.*

Dic *Pater & Ave: & Confirma, o Deus &c.*

Reflexiones.

I. Petrus in Collegio Apostolorum, in Consortio sanctissimorum, in schola & Societate JESU, Petra Ecclesiæ, Christi Vicarius, gravissime tamen lapsus est, ab una prostratus ancilla ostiaria, Timothee! quis ergo locus? quæ conditio? quod remedium nos inter tot feminas constitutos præservabit a lapsu?

R. Brevissime: *Nullus, nulla, nullum.* Nullus locus: nulla conditio: nullum remedium, nisi sola occasionum & periculorum, saltem proximorum, fuga. Sic olim Magno Antonio, ad conspectum mundi, laqueis undique cincti exclamanti: *Domine! quis evadet?* Cælum respondit:

* Psal, 79. ** S. Aug. in Psal, 30.

dit : Antoni ! qui fugerit , saluus erit. Nam qui amat periculum , in illo peribit. - Hæc ad cautelam nostram.

II. Petrus a lapsu surgit velocissime ad unicum Christi obtutum : & hæc ad nostram confusionem , qui lapsi in lutum , ocysissime surgimus : diu sine lavacro pœnitentiæ hæremus in cloaca peccatorum cum manifesto salutis æternæ periculo. Vah probrum !

III. Petrus ad nostram instructionem convertitur perfectissime , dum non modo per totam vitam peccata trinæ negationis summo profecutus est odio , sed etiam reparavit tergemina amoris Dei professione : *Tu scis , Domine , quia amo te.* Nimirum tantum debet vere pœnitens odisse peccatum , quantum debet amare Deum , amare se ipsum , amare Cælum ; tantum enim amas , quantum odisti , quia odium procedit ex amore. Deum debes amare *unice , super omnia , constanter* usque ad mortem : ergo & peccatum *unice , super omnia , & constanter* odisse ad mortem usque.

IV. Petrus a Deo recipitur suavissime : & hoc ad nostram consolationem. Scl. Deum agnoscere , non autem suam imbecillitatem ac miseriam , nimix causa est præfidentix ac temeritatis. Testis est Petrus

Suam cognoscere miseriam, non item Deum, causa est desperationis. Testis est Judas. JESUS simul Deus est, & Salvator. Nec Deus erit, si illi auferas misericordiam: nec salvator, si non miseretur peccatoribus. Lege ex Thom. Kemp. lib. 3, cap. 52.

Sequuntur jam *Considerationes* seu *Examina* de obligationibus Sacerdotum *erga se ipsos*, ut salutem consequantur. Eas duobus verbis Deus complectitur: * *Declina a malo, & fac bonum; fac bonum*, seu serva obligationes *erga Deum & proximum*: de quibus jam egimus. Ut *declines*, Timothee, *a malo*, seu peccato gravi, tria debes vitare 1. *Tepiditatem*. 2. *Peccata venialia*, saltem frequentiora & plene deliberata. 3. *Præcipuos Innocentiæ Sacerdotalis scopulos*. Incipiamus de primo, seu

De Tepidate.

Tres sunt Sacerdotum classes. Sunt *ferventes*: sunt *tepidi*: sunt *scelerati*. Ex qua classe es tu?

I. *An ferventium?* - - Omnis quidem Christianus, at magis Sacerdos obligatur ad Perfectionem Statui suo competentem. *Perfecti estote*, ait Christus, ** *sicut & Pater vester celestis perfectus est*. Nimirum

* Psal. 36. ** Matth. 5.

mirum filius debet esse consimilis patri suo, imago exemplari ac idææ suæ, effectus suæ causæ, discipulus Magistro suo.

At *fervens* Sacerdos non est contentus *qualicumque* sua perfectione, sed perpendens illud S. Hieronymi: *Felix, qui quotidie proficit*, divinas sequitur inspirationes, & semper ad majorem ac majorem perfectionem tendit per assiduos, semperque intensiores actus mortificationis suarum passionum: item per actus Humilitatis, Orationis, Religionis, Charitatis erga Deum & proximum, zeli animarum, puræ Intentionis &c.

Esne ex felici hoc *ferventium* statu? --
aut an es

II. In *Tepidorum* statu periculosissimo? --
Aqua dicitur, & est *tepida*, quæ nec *frigus* habet, nec *calorem*, sed aliquid *ab utroque* participat. Non aliter anima dicitur, estque *tepida*, quæ nec *fervorem* habet adipiscendi debitam perfectionem: nec omnino *frigus* fatale, seu voluntatem labendi in peccata mortalia, aut in *âis* perseverandi.

Tales *tepidi* juxta S. Bernardum, aliosque Patres sunt, i. qui magis curant speciem & umbram virtutum, quam veras virtutes: aut vellent virtutem, sed

absque labore, qui latet in ejus exercitio: e. g. vellent humilitatem sine humiliatione, patientiam sine materia patienti, zelum animarum sine molestia & labore, devotionem sine animi collectione, victoriam passionum sine mortificatione, palmam sine pugna. Verbo, *vellent* virtutem, at non volunt; 2. *Tepidi* sunt, qui negligentes sunt in suis spiritualibus exercitiis & functionibus: orant sine attentione, Breviarium deperant inter voluntarias mentis & oculorum evagationes, accedunt Missam sine præparatione, peragunt sine devotione, recedunt ab illa sine gratiarum actione: opera sua faciunt ex mera consuetudine, aut respectu humano: solum fugiunt peccatum mortale; venialia, etiam deliberata, non curant, non horrent &c.

Utique unum, alterumve ex enumeratis *tepidorum* signis non hoc ipso *tepidum* faciunt, bene tamen *omnia* simul sumpta, aut *pleraque* conjuncta.

Periculosissimum vero *tepidorum* statum demonstrant *Primo*. Verba Dei ad tepidum: *Utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo, * veluti cibum, quem nauseamus, aut pati non possumus, atque*
adeo

* Apoc. 3.

adeo cum magna stomachi indignatione
reiicimus. NB. Quod autem semel evo-
muimus, non amplius recipimus.

*Secundo. Cæcitas tepidorum, non agno-
scentium evidens periculum in peccata
gravia, & inde in perniciem æternam
ruendi teste Deo: Qui spernit modica, pau-
latim decidet: & teste S. Bern. Tepido-
rum vita inferno appropinquat.**

*Tertio. Induratio cordis tepidorum, quia
apud ipsos media salutis ordinaria, utpo-
te quibus assueti jam sunt, nihil amplius
proficiunt, uti oratio, concio, spiritu-
alis lectio, Missa, Confessio, imo ipsæ
Meditationes de Veritatibus æternis, cum
tamen hisce mediis etiam maximi pecca-
tores possint, ac soleant converti, atque
emendari, utpote agnoscentes ac fugi-
entes suum damnationis periculum.*

III. In Classe *sceleratorum* sunt, qui
actu existunt in statu peccati mortalis,
per Pœnitentiam necdum rite expiati.
De his dicere satis est: *Aut pœnitendum,
aut ardendum. - - -*

Addo tamen, mi Timothee, & per
salutem tuam obtestor te, ut, si forte
prava consuetudine aut familiaritate olim
peccasses longius, hoc triduo, aut pro-
xime (nisi factum jam sit) *generali qua-
dam*

L 5

dam

* Eccl. 19.

dam confessione expies peccata illa; secus
væ tibi in morte! amplius in Iudicio, ob
infirmi-*tatem propositi*! - Sapi-*enti Pauca!*

Alterum jam, quod declinare debes,
malum sunt peccata venialia, præsertim
plene deliberata: sit ergo

CONSIDERATIO

De Peccato veniali.

REcte S. Ambrosius ait: *Non mediocris
virtus Sacerdotalis est, cui cavendum
non solum, ut gravibus vitiis sit affinis, sed
ne minimis quidem.* Rationem dat Cassi-
odorus, quia *Professio Clericorum vita ca-
lestis.* * Aliam adhuc, & intrinsecam
rationem dat Conc. Trid. ** *Clerici le-
via etiam delicta, quæ in ipsis (ratione
Status) maxima essent, effugiant.* Imò
peccata etiam venialia, seu levia non
solum in Clericis *ratione Status*, sed &
maxima sunt

1. *In se ipsis.* 2. *In suis effectibus.* 3. *In
suis pœnis.*

§. I.

Peccatum veniale in se ipso spectatum

*Leve quid non est, nisi illis, qui
parum cognitionis de Deo habent, pa-
rum*

* Lib. 8. ep. 24. ** Sess. 22. c. 1. de Ref.

rum fidei supernaturalis, parum aut nihil amoris Dei. *Leve* ergo dicitur non absolute & *in se ipso*, sed respecti-
ve tantum, & *comparatum* peccato
gravi: fere ut plumbum est, & dicitur
leve respectu Mercurii vel auri: ut or-
bis dicitur *parvus* respectu Cæli, collis
respectu montis.

Sic, & non aliter peccatum veni-
ale dicitur, & est *leve ac parvum*
comparatum peccato gravi: *in se ipso*
autem est quid absolute *grave*. Ver-
bo, leve est peccatum: at, si pecca-
tum grave excipias, *malum* est omni-
um sane *maximum*. Audi, quantum.

Si per unicum peccatum veniale
posses simul & semel *ad unum* omnes
convertere peccatores: omnes Hære-
ticos, Turcas, & Gentiles ad veram
fidem & ad Cælum perducere: Animas
omnes ex Purgatorio, & damnatos
omnes cum innumeris dæmonibus ex
inferno liberare, & ad Deum infinite
laudandum Cælo inferre, juxta com-
munem SS. Patrum ac Theologorum
sententiam non liceret vel unicum ve-
niale peccatum committere, quia hoc
unicum majore Deum injuria & velur
tristitia afficeret, quam eum honorare
possent, & delectare omnes omnium
simul

simul hominum & Angelorum laudes in æternum dicendæ, sed aliunde infinitis ei titulis debitæ.

Et tu, pro dolor! tu, Timothee, non ob tuam, aut totius mundi salutem, sed ob rem nauci & flocci tot quotidie venialia committis peccata, irreverens in templo, garrulus sub precibus etiam Canonicis, mendax in verbis, impatiens in operibus, famæ alienæ detrahens, iræ & gulæ cedens &c.? - - - Et malum *leve* dicis, quod, ut audisti, æternitati pœnarum infernalium, ac æternæ innumerabilium animarum ruinæ præponderat? - Malum *leve* dicis?

O quam aliter sentiebant hominum Sanctissimi! SS. Anselmus, Edmundus, Catharina Senensis cum pluribus aliis malebant Cælo carere, quam peccare leviter. Idem hodie in Cælo mallent Sancti omnes, & Regina eorum. Imo ipse Deus, si per impossibile unicum posset v. g. mendaciolum proferre, eodem instanti desineret esse Deus: penitus annihilaretur. Et tu *leve* dicis?

Longe aliud dicit Christus æterna Veritas: * *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homi-*

* Matth. 12.

homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Et Matth. 5. *Judex tradet te ministro, & in carcerem (heu! quam terribilem!) mitteris. Amen dico tibi: Non exies inde, donec reddas novissimum quadran- tem.*

Neque id mirum; nam peccatum veniale est vera Dei offensa, quia est contra legem divinam illud prohibentem: est verum divinæ indignationis, odii, & iræ objectum, quia Deus ex sua natura & essentia non potest non odisse, quod sanctissimæ ejusdem voluntati opponitur: est quædam inobedientia & contemptus Dei: est injuria. Hoc satis, & plus, quam satis est.

Ergo *vel Christus, & Deus fallitur: * vel mundus errat, pro re levi, imo pro nihilo habens peccatum veniale.*

§. II.

Peccatum veniale in suis effectibus.

Inter præcipuos, & fatales peccati venialis effectus est, quod juxta S. Thomam & Theologos non solum *indirecte, & per modum removentis prohibens, v. g. gratias Dei singulares, sed directe etiam homi-*

* S. Bern.

hominem disponat ad peccatum mortale, in quantum animam toties ex proposito, cum plena deliberatione, sine remorsu venialiter peccantem inducit in consuetudinem Leges divinas violandi, omnem peccati horrorem exuendi, conscientiam laxandi, & in maxima sensum prouendi. * *Qui spernit modica, paulatim decidet in graviora, in consuetudinem, in impenitentiam, in orcum decidet. Et Christus: ** Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.*

Scilicet uti teste S. Hieron.: *Non cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat; ita teste S. Bernardo & experientia: A minimis incipiunt, qui in maxima prouunt.*

Judas initio leve quid de communibus eleemosynis decerptum, suis donabat consanguineis: paulo post 30. argenteis Deum vendidit. ***

Sed quid peregrinos adduco testes? Te ipsum appello, Timothee. Unde tu, si olim in gravia lapsus es peccata, eo malitiæ proruiisti? Nunquid quia oculos intra - & extra templum cum Davide in sexum alterum incaute coniecisti? quia linguam in jocos illiberales

* Eccli. 10. ** Luc. 16. *** V, Hug. & S. Vict.

les liberius solvisti? quia eandem gulæ, aures spurciloquiis dedisti? quia orationes & officia tua negligenter obiisti? quia a minimis incepisti, in majora & maxima proruisisti, *Qui spernit modica, paulatim decidet.* En effectus venialium!

§. III.

Peccatum veniale in suis pœnis consideratum.

Profecto leve non potest dici, aut esse, quod justissimus Deus *gravissime* punit tam in hoc, quam altero orbe.

Heu me! toties inhorresco, quoties recordor, quod Deo dilectissimi Sacerdotes Moyses & Aaron ab ingressu terræ Promissionis, quam per difficillimum 40. annorum iter adeo suspirabant, exclusi fuerint ob *levem* diffidentiam, quod Nadab & Abiud, recens inaugurati Sacerdotes, quia unicam legis *cœremoniam* (Ignem sacrum) non adhibuerunt: Oza vero, iridem Neo - Sacerdos, quia labantem Arcam non satis reverenter *tetigit*, subita morte a Deo puniti fuerint.

An forte mitius venialia *Secularium* peccata punivit Deus? Imo 25. millia Bethsamitarum suam in aspicienda Arca *curiositatem* morte debebant luere: uti &

70. militum millia *vanam* Davidis populum suum numerantis *complacentiam*.

Quid? quod etiam in nova Lege, in Lege Gratiae, piissimus Abbas Moyfes ob *levem impatientiam*, alius e Monachis ob *avidioŕem aque haustum*, alius ob *voluntariam in Oratione distractionem* (ita puniente Deo) a *dæmone* fuerint *obsessi*.

O Timothee! quot mortes, quot dæmones tu & ego jam fuissetus meriti!

Verum enim vero parum, aut nihil sunt ista, si cogitemus, quantum Deus *in orbe altero* puniat vel *unicum* peccatum *veniale*. Fide certum est, quod non possimus unquam cum peccato veniali ad Visionem Dei beatificam in Cælum admitti: nam * *Non intrabit in istud aliquid coinquinatum*: terribilis pœna! At *privativa* hæc pœna *damni* non sufficit divinæ Nemese: addit (in Purgatorio) *afflictivam sensus*: audi, quam atrocem.

Ajunt communiter Patres cum pluribus Theologis, *minimam* Purgatorii pœnam longe atrocioŕem esse, quam quidquid ** tot milliones SS. Martyrum *simul*, aut Christus per *totam* Passionem (in corpore) passi sunt, aut quidquid
cru-

* Apoc. 21. ** V. Keppler *Subsid. anim.*

crudelitatis possit Natura experiri, aut etiam fingere. Ajunt communiter cum S. Augustino, eodem prorsus igne (eodem *intensive* & quoad atrocitatem, licet non eodem *extensive* & quoad durationem) torqueri damnatum, & purgari electum.

Et quenam peccata venialia ita ple-
ctuntur? & quamdiu?

R. *Levissima*, etiam in Sanctissimis Hominum: e. g. per 3. dies & noctes *inordinata affectio* in S. Udalrico Augustæ Vindelicorum Episcopo Nepotem suum, utut dignum, præ aliis dignioribus ad Episcopi dignitatem promovente: *longius* in S. Severino Colonien- sium Archiepiscopo justo citius *deprope- ratum* etiam graves ob causas *Breviarium*: *diu* in S. Anselmo *vana de Scientiis suis complacentia*: per 7. dies in piissimo Episcopo Durano *leves, non turpes joci & facetiæ*: *longius* in S. Vitaliana *vane & superbe quodam die Veneris crispatis crines*: per *is dies* in S. Romano *dilata tantisper testamenti cujusdam executio*: per *æque longum tempus* in piissima S. Petri Damiani *Sorore muliebris curiositas in spectandis saltantium puellarum choris, & carminibus audiendis*.

Heu me! heu te, mi Timothee! *Si*
hec in viridi, in hominibus sanctissimis,

M

in

176 *Confid. De Peccato veniali.*

in defectibus sane levissimis, *in arido,*
in nobis, tot venialium &c. reis quid
fiet? - -

Cogita jam, quam sedulo cavere de-
beas *frequentiora* & plene *deliberata* pec-
cata venialia, quia plane maximum quid
sunt *in se, in effectibus, in pœnis.*

Denique ut peccatum grave, & peri-
culum damnationis æternæ evites, Ti-
mothee, vitare debes *tres præcipuos Inno-*
centiæ Sacerdotalis scopulos. Deragam sin-
gulos.

§. I.

Primus scopulus est Gula & Ebri-
etas.

Quam pestifera malorum fere innu-
merabilium radix sit *Gula & Ebrietas,* ex
fructibus cognose. - Præcipui sunt

I. *Rerum spiritualium,* imo & *Sacramen-*
torum Pœnitentiæ ac Eucharistiæ nausea,
horror, & frequens neglectus earum
quoque rerum, ad quas sub gravi pecca-
to tenemur, uti sunt horæ *Canonicæ &c,*

II. *Sacramentorum plerumque irreverens,*
non raro etiam in substantialibus *dubia,*
& utinam non invalida *administratio,* for-
te & sacrilega *Sigilli sacramentalis vi-*
olatio.

III;

III. *Interitus opera Pastoralis*, totiusque fructus spiritualis, dum crapulis deditum Sacerdotem domi, forisque spernunt omnes, horrent in articulo mortis, fugiunt in sacro tribunali, rident in cathedra & cathechesi, adeo verum est illud Sancti Gregorii: *Cujus vita despicitur, restat, ut predicatio contemnatur.* *

Imo, Timothee, mihi crede, contemnitur Sacerdos, si vel honestum frequentet hospitium inter Laicos. Hinc etiam *semel adiens*, casum reservatum incurrit in quibusdam Dicecesibus, ut in Bissuntina, Argentinensi &c.

IV. *Rixæ, contentiones, odia, blasphemia*, & plura non solum ebrii Sacerdotis, sed totius Ven. Cleri *dedecora*, quæ Apostolus deplorat: *Multi sunt (flens dico) quorum Deus venter est, & gloria in confusionem ipsorum: ***

V. *Lapsus* eheu! in peccata carnis gravissima, & scelera vix nominanda. *Vini largior usus infinitorum est causa malorum, **** recte ait Chrysoft. Testes appello omnes mundi ætates ac plagas, Noë nudat in ebrietate, quod sexcentis jam annis texerat. Loth (nihil enim sacrum est crapulæ) geminum cum filialibus suis

M 2

ince-

* Hom. 12. in Evang. ** Ad Philipp. 3.

*** Hom. 10. in Genes.

incestum commisit ebrius, ipsa in Sodomā castissimus Loth. Scl. juxta vetus proverbium *uti Venus sine Baccho friget, ita ubi Bacchus regnat, ibi saltat Venus.* Ea de causa monet Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* * Neque minus vere, ac orthodoxe loquitur ethnico-Christianus Seneca: *Omne vitium ebrietas,*

VI. *Scandala urbis & orbis.* Hæretici præsertim ob frequentes Clericorum crapulas, fidem nostram spernunt, averfantur, cavillantur: simplices autem Catholici in illa turbantur, vacillant, dubitant, & non raro ab ea defecerunt. Et cur? *Non crediderunt Reges terræ, & universi habitatores orbis propter iniquitates Sacerdotum.* ** At væ illi, *per quem scandalum venit* *** & tale, & tantum.

VII. *Certa damnatio: ebriosi regnum Dei non possidebunt: ***** maxime si, quod sæpe jam contigit, in crapula cervicem frangant, aut moriantur apoplexia tacti &c. Peccatores alii in articulo, aut periculo mortis possunt confiteri, aut perfecte conteri, aut saltem imperfecte, & sic absolvi, & salvari, non item ebrius, sui impos. Sic ebrii periere Ammon, Holofernes, Nabal, Rex Balthasar, div
ves

* Ephes. 5. ** Jerem. Thren. 4. *** Matth
18. **** Gal. 5.

ves Epulo, 24000. Israëlitæ, & mille alii.

Tanto igitur malo, totque malorum parenti *Gula* ut aditum omnem præcludas, Timothee, cogita sepe 1, Memoratas ebriorum pœnas, & minas Dei: *Ve qui potentes estis ad bibendum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem &c.* - * 2. Nihil abjectius, & Sacerdote indignius esse, quam gulam, *abjectum* sane vitium, quod hominem proxime ad belluas abiicit, imo infra illas, utpote quibus natura statuit metam, limites, & satietatem. Hinc vere Hieronymus: *Ebrietas sues ex hominibus facit.* Addit, meliores ebriis esse asinos & canes, qui nunquam plus iusto bibunt. 3. Agmen morborum, qui vel comitantur, vel sequuntur *Gulam*, dum contra *Sobrietatem* mirum sanitatem conservat, ac ætatem auget. Testes habes Paulos, Pachomios, Antonios, Hilariones, Romualdos, & mille alios per sobrietatem centesimum annum egresfos. - 4. Angores conscientia in morte orituros, eo quod Ecclesiastici redditus, patrimonium Christi, adeo inique & scandalose fuerint dilapidati.

Hæc & similia nisi gulam refrænent, illud adhuc superest remedium: *Ignis, &*

M 5

sulphur,

180 Scopuli Innocentiæ Sacerdotalis.
Sulphur, & spiritus procellarum pars calicis
eorum * in æternum.

§. II.

Secundus, & omnium periculo-
sissimus Scopulus est Liberior cum
feminis conversatio &c.

Ex hac conversatione ac familiaritate
nasci *Luxuriam*, restantur terra, Cælum,
Orcus: e *Luxuria* vero animarum *perni-
ciem*. Audi testes innumeros, irrefraga-
biles.

Toletus cum Theologis ait, ob nul-
lum vitium plures damnari, ac ob *luxu-
riam*, maxime ob mollitiem.

Jeremias Drexelius cum Ascetis ait
ex SS. Chrysoft. & Bern. *Si centum dam-
nari convenit, 99. ob carnis vitia damnan-
tur.*

S. Remigius per continuos 70. annos
Rhemensis Episcopus cum communi Pa-
trum ait: *Ex adultis propter carnis vitium
pauci salvantur.* Imo S. Nilus expres-
se ait, ex decem millibus vix unum sal-
vari, diu *luxuriæ* deditum, addens, S.
Simeoni Stylitæ ita divinitus esse revela-
tum.

esset

* Psal. 11.

Num ergo omnis spes salutis præcisa est luxuriosis? Neutiquam: attamen tam difficile est luxuriosum castitati, quam mortuum vitæ restituere. Chrysoft.

Quid autem deberem dicere, si Clericus, aut Dei Sacerdos hac lue & morbo esset infectus? Sane cum eodem sancto Patre dicerem ipsi: *Si peccasti privatim, seu ut homo privatus, nil tale passurus es: si in Sacerdotio, periisti.* Dicerem cum eodem: *Non arbitror, inter Sacerdotes (luxuriosos ego intelligo) multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant.* Dicerem, quod Angelus magno Dei Servo dixit, * & ad oculum monstravit: *scilicet paucos in Purgatorio esse Sacerdotes, quia probi eo non veniunt, aut cito inde liberantur: malos autem maximam partem damnari, præcipue ob luxuriam.* Dicerem cum S. Spiritu: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quoniam Spiritus fornicationum in medio eorum.* ** Dicerem illis cum S. Bonavent: *Qui est in peccato luxurie, jam quodammodo est in supplicio gehennæ:*

Sed satis dictum de re adeo abominanda. Æquum non est, ut, quod spero,

M 4

sc-

* V. Carthus. de 4. Noviss. ** Ose. 5.

scelus paucorum offendat aures & oculos castissimorum Sacerdotum.

Igitur ad te redeo, Timothee, & *preservativa* potius, quam *curativa*, præscribo media, imo unicum, quod sufficit, & *absolute necessarium* est, medium, ut ab hac exitiosissima peste remotissimus maneat, aut fias. *Fugam*, ajo, tibi præscribo: *Fugite fornicationem.* - - & S. August. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* Fuge ergo, mi Timothee, &, quantum potes, Fuge I. Commercium omne & colloquia feminarum, nisi aliud exigat necessitas, obedientia, & munus tuum. Quid enim (recte scribit Hieronymus) tibi cum feminis, qui ad altare cum Domino conversaris? - Prima tentamenta Clericorum sunt feminarum frequentes accessus: & tamen nihil est periculosius viro, quam mulier, & mulieri, quam vir. Uterque palea, uterque ignis. ** Ita Hier. & clarissime S. Spiritus: In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas Viri; melior enim est iniquitas viri, *** seu iniqui tecum conversantis, quam mulier bene faciens, seu bene ac spiritualiter tecum loquens, aut agens.*

Dice-

* I. Cor. 6. ** Ad Ocean. *** Eccli. 42.

Dicebant Veteres: *Procul a Jove, procul a fulmine.* Melius ego hodie dixerim: *Procul a Junone, procul a fulmine, a flamma luxuriæ, ab igne infernali procul. Nunquid lapideus es, aut ferreus? igni conjungeris, & non ardebis?* jure quærit Chrysostomus. Imo non es sanctior Davide, clamat Hieronymus, nec sapientior Salomone, nec fortior Samsone: & tamen hæc tria fortitudinis, sapientiæ, & sanctitatis prodigia per fæminam prostrata fuisse cum millies mille aliis. Et quæso (loquor cum Hieron.) quid tibi necesse est in ea versari domo, ubi necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere? Fuge ergo, mi Timothee,

*Heu! fuge crudeles terras, fuge littus avarum, si non propter te, saltem propter alios, qui facile, nec sine scandalo, offenduntur ab ejusmodi, præcipue immoderatis feminarum Visitoribus, de quibus Hipponensis Præsul: In aliena domo cum extraneis mulieribus putant se castitatis obtinere triumphum, ignorantes, dupliciter se apud Deum reos esse, dum & se ipsos in periculum mittunt, & aliis exemplum perversæ familiaritatis ostendunt. *** De his vere Hieron. *Etsi conscientia criminis non habet*

M 5 vul-

* Ep. 47. ad Nepot. ** Aug. Serm. 250.

184 Scopuli Innocentiae Sacerdotalis.
vulnus, habet tamen fama ignominiam. *
Magis adhuc

II. Fuge colloquia *solius cum sola*, atque exemplo SS. Augustini, Caroli Borromæi, & mille aliorum nunquam, *citra necessitatem* omnino nunquam, age solus cum sola, præsertim in loco abdito, clauso, aut tenebricoso; hoc enim non esset tentari, sed *velle* tentari, imo & vinci. Nota ergo, & observa monitum Juris Canon. *Solum ad solam nulla religionis ratio permittit accedere.* ** En! nulla, nulla etiam Religionis ratio id permittit.

Excipe tamen casum *necessitatis*, quo e. g. ægrotarum confessiones sunt excipiendæ &c.

Quanquam & tunc cubiculum *ex omni parte* claudi merito prohibeant Theologi & Ascetæ peritiores.

Exemplum nobis dedisse videtur ipse Deus - Homo, & ideo essentialiter tam ab omni peccato, quam peccati suspitione longe remotissimus, dum mortuam Jairi filiam resuscitaturus, ejectis omnibus aliis, retinuit defunctæ parentes & 3. Apostolos, & cum his mortuæ cubiculum intravit. Quanto magis nos, peccatis obnoxii, similes cautelas adhibere debemus? nam *magna pars peccatorum tollitur,*

* L. 1. Ep. 47. ** Dist. 8. c. in omnibus.

* tollitur, si peccaturis testis assistat. * Secus autem enormia prodeunt scelera, ubi illud auditur: *Ostia pomarii clausa sunt, & nemo nos videt.* **

Utinam, Timothee! repeto. Utinam neque tu, neque alius Sacerdotum id fuisset expertus.

Dein etsi cautela hæc necessaria haud foret ad vitanda *hominis* pericula, necessaria tamen est ad tuendam *Clerici* famam, omnibus quidem, at Pastoribus animarum comprimis necessariam. *Oportet testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt.* ***

III. Non minus, imo magis fuge *Devotissas*, ut vocant, seu *filiæ spirituales*, quæ *singularem* quandam erga te devotionem & affectionem præferunt, aut talem si tu sentis erga illas: nam, ut verissime scribit. **** Hieron. *Proximus, & facilis gradus est ab amore spirituali & honesto ad carnalem & S. Bern.: Sæpe putatur esse charitas: & est carnalitas.* Imo (verba sunt non mea, sed Doctoris Angelici) ***** *Licet carnalis affectio omnibus sit periculosa & damnosa, spiritualibus tamen viris pernicioosa est magis, præsertim quando conversantur*

* Seneca. ** Daniel 13. *** 1. Tim. 3. **** Ep. ad Rust. ***** Opusc. de modo conf.

Santur cum persona, quæ spiritualis videtur.
Ita Angelicus ex aliena, non utique propria experientia, quippe liber ab omni concupiscentia. Similia de ejusmodi feminis ita scribit Augustinus: *Non ideo minus vitanda, quia bonæ indolis, & honestæ videntur: sed tanto magis alliciunt, & sub specie virtutis viget plurimum viscus libidinis.* An plures petis testes? ex innumeris paucos habe.

Sancta Irene Confessarium suum traxit & impulit in gravem carnis lapsum; item alia quemdam Zelosissimum in Africa Episcopum, qui tempore * persecutionis Wandalicæ fidem catholicam ferventissime prædicavit etiam per miraculum sine lingua, per forcipem a tyranno e faucibus evulsa. Alius Sacerdos eo sanctitatis & meritorum pervenerat, ut quotidie Angelus sacrificanti adstiterit visibilis: ** & tamen cum pia femina subin scædum lapsus est *de sublimi in profundum, de Cælo in cœnum*, ut ait Bern. Alia non minus pia Matrona S. Martyrem, cui Deus prodigiose vitam servavit, *** ipsa vero pie curabat ejus vulnera, turpissimum in
lapsum

* V. Dialog. S. Greg. L. 3. c. 32. ** S. Petr. Dam. L. 1. Ep. 16. ad Alex.
*** Paciuchelli in Jon. t. 3. Lect. 64.

lapsum impulit. Profecto *melior est iniquitas viri, quam mulier bene faciens.*

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.
Quam vere igitur de ejusmodi familiaritate cum hisce Devotissis etiam in sacro tribunali dixit S. Fundator meus, quod earum Confessariis plerumque nihil remaneat, nisi *aut ignis, aut fumus.*

Quare juxta monitum Juris Canonici, Timothee, *feminam, quam videris bene conversantem, mente dirige, non corporali frequentia.*

IV. Fuge ante alias omnes (per salutem tuam) *tuarum* blanditias atque insidias *ancillarum*, maxime si pulchrae sint, blandiloquae, juvenes, & comulae. Stimulant, si approximant: incendunt, cum loquuntur: urunt, cum tangunt. Periisti, si vicissim ipse oleum igni affundis. *Qui amat periculum (& quodnam possit esse proximius?) in illo peribit.* Ita Deus, non ego.

V. Tandem fuge ultimo, Timothee: imo omnium *primo* totis viribus *proximam* labendi occasionem fuge. Ah! crede toti mundo: crede tibi met ipsi: crede saltem Deo: *Qui amat periculum, in illo peribit.* *

Quodsi

* Eccli. 3.

Quodsi præter omnem meam opinionem omnino domi tuæ talem haberes, & aleres occasionem, juxta Apostolum aut *ejice ancillam*, aut tu certo certius ejiceris in tenebras exteriores *

Ais: *Cavebo.* - - R̄. Cavebis (si tamen) corpore, at non mente.

Replicas: *Nil faciam posthac, quo peccem.*

R̄. Ergo nil facies, nisi mera, maxima, & primæ classis miracula; etenim *majus miraculum est inter vehementes occasiones non cadere, quam mortuos suscitare.* Verba sunt S. Bernardi.

Dices: *Si ejiciam, quid dicent homines?*

R̄. Imo, si non ejicias dudum suspectam, forte jam diffamatam, *quid dicent homines?* - quid tua dicet conscientia? - quid dæmon in articulo mortis? - quid Deus in die Judicii? - *quid tunc dicent homines, etiam Turcæ & Gentiles?* - -

Bellissima Objectio! *Quid dicent homines?* Nimirum probi ac prudentes dicent, te prudenter, caute, ac provide agere, quod piorum exemplo Sacerdotum domi tuæ periculum tale vel non patiaris, vel removeas, occasionem devites, suspicionem, uti obligaris, &

scan-

* Ad Galat. 4.

scandalum tollas. - - Dicent, quod
omnis prudens domo ejiciat canem ra-
bidum, a quo vel semel fuerat admor-
sus: vel omnino contra malam de te fa-
mam aut suspicionem publicam dicent,
te plane *innocentem* esse, & nec justo
familiarior, nec merito *suspectum*
fuisse, aut *dici* cum illa, quam adeo ge-
nerose deseris, adeo prompte ejicis &c.
Ita dicent de te prudentes, Improbi,
stulti, malevoli quid cogitent, aut di-
cturi sint, utique curandum non est vi-
ro prudenti. Dein vel homines famili-
aritatem illam notarunt, vel non? Si
non? tuæ famæ nil decedet. Si nota-
runt? famæ tuæ multum accedet, si
domo ejicias.

De cætero cum verba moveant so-
lum, exempla vero trahant, audi quæ-
dam cautissimorum exempla Sacerdo-
tum, habebis, quod admireris, si non,
quod imiteris, Timothee.

S. Ursinus Presbyter in ipso agone
suo feminæ appropinquanti dixit: * *Re-
cede a me, mulier, adhuc igniculus vivit,
paleam tolle.*

B. Petrus Forerus nec Matrem suam
in ædes suas voluit *solam* admittere, nec
volebant in suis ullam pati feminam S.

Caro.

* S. Greg. in Dial. L. 4. c. 11.

Carolus Borromæus & S. Franciscus Salesius, nec S. Augustinus germanam Sororem, aut Neptem suam.

Jacobus Marloharstius, Zelosissimus plurium annorum Parochus, cubiculi sui foribus inscripsit: *Mulierum pedes foras sunt.*

S. Petrus de Alcantara per 40. annos nullam de facie aspexit feminam, nec Sorores, nec Consanguineas.

Ausi non sunt soli feminis loqui S. Martinus Ep. Turon. S. Augustinus, S. Chrysostronus, & alii.

Ausi non sunt S. Carolus Borrom. solam alloqui Sororem, S. Aloysius Gonzaga solam Matrem. Exprobranti istud Matri, se utique Matrem ipsius esse, Aloysius 9. annorum puerulus responsum viro & sene dignum dedit, dicens: *Novi, te Matrem meam esse: ast & feminam esse novi.*

Adeo cauti & providi hac in re erant sanctissimi & in virtute roborati Heroes: & nos infirmi, labiles? - - -

Saltem juxta consilium ethnici Senecæ posthac a lubrico recedamus: etiam in sicco parum firmiter stamus.

Stabis laudem firmiter, Timothee, si duo efficacissima, imo necessaria conservandæ Castitatis adhibeas remedia:

scilicet.

Scopuli Innocentiae Sacerdotalis. 191

scel. 1. mo *Custodiam sensuum. 2. do Prudentem & constantem Directorem conscientiae. Igitur.*

I. *Custodi omni cura oculos, ne unquam blande aut morose defigantur in forma feminae, praesertim venustae, juvenis, comptulae, aut a te jam olim amatae; hoc enim esset flammam excitare, aut novum ignem e cineribus eruere. Oculi sunt in amore duces, ait vere Ovidius: & alius:*

Sunt oculi scopuli titulo meliore vocandi.

Heu! quibus allisa tot periere rates, & viri.

Sanctissimus David, & vir secundum cor Dei, semel duntaxat, & a longe aspexit Bethsabeam. Et en! *Mulier procul: libido prope*, exclamat Augustinus.

S. Hieronymus conspectam Romae in theatro saltantem puellam non potuit amplius e phantasia pellere etiam 70. annorum jejuniis, ciliciis, flagellis. Audi tantum ejus lamentationes, longe tristiores, quam Jeremiae Prophetae: *Ego, ejulat, ego scorpionum tantum socius, & ferarum, saepe choreis intereram puellarum, pallebant ora jejuniis, & mens desiderii aestuabat &c.* Eheu! quid illis fiet, qui periculosis oculos formis, libris, imaginibus pascunt?

N

II.

II. Custodi aures, & sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire: * quia teste Apostolo corrumpunt bonos mores colloquia prava. ** Sed hæc ad stabularios, non ad Clericos & Sacerdotes.

III. Odoratus quoque noli nimium blandiri.

IV. Custodi Linguam a spurciloquiis, gustum a gula: *** nam potus vini, ventrisque saturitas est seminarium libidinis. Sed de hoc superius abunde dictum est.

De spurciloquiis, quia ad rabulas, lixas, & stabuli famulos, non ad consecratos Deo Viros pertinent, dixisse sufficiat illud S. Bernardi: **** *Inter seculares nugæ (& joci illiberales) sunt nugæ, in ore Sacerdotis, blasphemia. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. Aut quid magis horrendum, quam eadem lingua, cui quotidie Corpus & Sangis J. Christi adhæret, stercora & fimetum evehere?*

V. Custodi omnium maxime Tactum, utpote ante omnes Sensus pessimum, ut ait S. Basilius, periculosissimumque. ***** *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

* Eccli. 28. ** 1. Cor. 15. *** S. Hier. L. 1. in Jovin. **** L. 2. de Confid. ca. 25. ***** Eccli. 13.

ea. Avis a viscoso glutine tacta, capi-
tur. Vel scintilla pulverem tangat py-
rium: & incendium jam excitavit. Etiam
chalybs & silex ex sua natura sunt frigi-
di: at invicem confricati, mox ignem
exerent. In eundem fere sensum S. Jor-
danus Dominicanorum Prior Confessa-
rio, tactum manus femineæ excusantis,
eo quod sua esset filia spiritualis, piissi-
ma, & valde casta, perbene respondit:
*Etiam terra & aqua de se & ex se sunt
pura elementa: at conjunctæ faciunt lutum.*

Pro coronide mentem S. Epiphani
nota, dicentis, * quod ipse divinissi-
mus Magister Christus, ut nos *tactus cu-
stodiam* doceret, & perfectissimæ castita-
tis exemplum daret, Magdalenæ, etiam
post Resurrectionem suam gloriosum
corpus suum tangere volenti, his ver-
bis se opposuerit: ** *Mulier, noli me
tangere; nondum enim ascendi ad Patrem
meum.*

Alterum (dixi, iterumque dico) effi-
cax servandæ Castitatis remedium est

Constans, & prudens Director conscientia.

*Rectus ordo requirit, ut prius propriam, de-
inde alienas quis curare studeat conscientias:*

*** *secus audiet illud: Medice, cura te
ipsum*

N 2

* Hæres 26. ** Joan. 20. *** S. Bern,

ipsum. * Se ipsum autem, suamque conscientiam plane non curat, qui non *Directorem conscientiae*, sed solummodo *Confessarium* quærit, scilicet qui peccata *audiat*, aut *juvare* vel *nesciat* ob doctrinæ & spiritus defectum, vel *non audeat* ob respectum humanum, ob vitiorum societatem, aut certe paritatem, unde dum cæcus cæcum ducit, ambo in foveam, in orcum cadunt, mutui viæ comites & duces ad inferos. Hinc nobilis quidam Neapoli Confessario suo, qui eum nunquam emendatum tam facile semper absolverat, moriens legavit 20. scutatos in viaticum ad tartara.

Et quid tandem juvat penitentem a tali Confessario in terris audire: *Ego te absolvo?* dum in Cælis altum clamat Deus: *Et ego te æternum damno?* Quid prodest sua narrasse peccata, si ex defectu opportunitatis admonitionis, seriæ increpationis, efficacium remediorum post horam eadem repetas peccata, aut majora committas?

Igitur per salutem tuam, mi Timothee, ut a fatalissimo luxuriæ malo seu præserveris, seu cureris, fac, quod facis in morbo corporis: scilicet non *Doctorem* quæris, sed *Medicum peritum*, imo
peri-

* Luc. 4.

peritissimum. Sic in animæ morbis non quære solummodo *Confessarium*, sed prudentem & peritum animæ *Directorem*: & salva erit res, & anima tua.

§. III.

*Tertius Clericorum scopulus,
Avaritia.*

Moderatum res temporales & congruam sustentationem obtinendi studium nemo improbat, omnes *immoderatum*, seu *Avaritiam*, quæ fit dupliciter.

I. *Res alienas injuste* sibi vendicando e. g. injustis contractibus, palliatis usuris, exactionibus avaris &c. *

II. *Sua nimis tenaciter* tuendo per inconsultas lites, augendo per sordida mercimonia, per immisericordiam &c.

Utinam verum non sit nostris temporibus, quod de suis scripsit Petrus Blesensis: ** *Hodie in promotione quorundam* (ad Parochias &c.) *prima questio est, quæ sit Summa reddituum: non quæ sit conversatio subjeetorum. Verumtamen Deus non irridetur. Ad honorem te vocavit propter onera, non ad multiplicandum numerum familie, aut equorum, non ad dandas parentibus*

N 3

tibus

* V. S. Thom. 2. 2. q. 118. a. 3. ** Ep. 15.

tibus dignitates, sed ad dandam scientiam salutis plebi ejus.

Ea de causa Christus ad Petrum & Successores animarum Pastores: * *Pasce agnos meos: pasce oves meas.* Nota, ait Glossa; *oves meas pasce ut meas, non ut tuas: gloriam meam in eis quere, non tuam: mea lucra, non tua.*

Si dicas, non tibi, sed consanguineis lucra tua parari. R. S. Hieronymus: *Cave eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo, Grandis in suos pietas, impietas in Deum est.* Hinc provide monet Conc. Trid. si cognati vere & æque sint pauperes non ut cognatis, sed ut pauperibus distribuendas esse eleemosynas &c. **

Sed plusquam satis de Avaritia, cui fors pauci Clericorum sunt obnoxii, fors plures ab Avaritia ad aliud extremum declinant, scilicet ad Prodigalitatem in lusu immodico, aut nimis pretioso.

Non impugno autem, Timothee, lufum moderatum, honestum, rarum, & non nimis pretiosum, maxime si certis definitum limitibus & horis fiat hospites exhilarandi, tempus fallendi, animum relaxandi gratia: sed solum impugno, qui
im-

* Joan. 21. ** Sess. 25. de Reform. c. 1.

immodice, nimis frequenter, nimis caro ludunt, & estimant lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecunque etiam ex malo acquirere. *

Quanquam, si veritatem licet fateri, non acquirit immoderatus lusor, sed perdit: perdit frequenter sua: perdit non raro se: perdit semper tempus, vere ait Novarinus.

I. Perdit semper tempus, quo animam suam salvare, meritum augere, Cælum emere, Deum lucrari poterat, & debebat: tempus, cujus momenta singula infinito sanguinis pretio constabant Deo-Homini: tempus, Ecclesiasticis debitum officiis: tempus, Dei & Sanctorum honoribus consecratum diebus festis &c.

Deo horulam in dicendo Breviario, semihorulam in legendo Sacro ægre concedunt: pridie horas sex, diem & noctem dimidiam lusibus impenderunt. Heu! quantum gement in morte, audituri: Tempus non erit amplius. **

II. Perdit frequenter sua. Ringitur præ ira, & furit domi, si famulus, aut famula 3. crucigeros inutiliter impendit: uno lusu 3. aut 6. florenos perdit: & non irascatur sibi?

N 4

Dein-

* Sap. 15. ** Apoc. 10.

Deinde quantum eleemosynæ infelix hujusmodi Lusor dat pauperibus? Vah probrum Christiani, nedum Sacerdotis, uno die plus *Pamphilio* aut *Bagatto* dare in chartarum foliis, quam intra mensem *Christo* in pauperibus! An non autem hoc solum damnat *immodicos*, lusus, de patrimonio Christi plus satisfacere charitatis, quam Christi membris?

Quid si insuper contra justitiam noceret famulis, opificibus, operariis, creditoribus aut diu, aut omnino non solvendo, cum lucro eorum cessante, aut cum damno eorum emergente?

III. *Perdit non raro se ipsum*: & quidem
 1. perdit suam *authoritatem*, famam & existimationem apud Superiores, apud æquales ac inferiores, maxime apud Parochianos. 2. Perdit intellectum & rationem, volens serio, & intendens cum singulis collusoribus lucrum, cum tamen absolute implicet, ut lucrentur singuli. Velle aliquid impossibile, utique aperta fatuitas est. 3. Perdit *spiritum* & amorem ad studia, ad lectionem & meditationem rerum spiritualium, componendis concionibus aut catechesibus adeo necessariam; sic tandem successive 4. Perdit *se ipsum*, animam, Deum, salutem, dum non Deo, suæ, aut suorum salutis,

saluti, sed lucro & lusui continuo intentus, perdit sensa pietatis & omnem virtutum scintillam ex bona educatione aut scholis haustam, & tandem seipsum ac Deum perdit: fere ut Israelitæ surrexerunt ludere, * & pro Deo suo vitulum aureum adoraverunt.

Sed hæc, ut dixi, de *lusu immoderato*, non de honesta recreatione.

NB. Idem dictum esto de *immoderato Ecclesiasticorum luxu* in conviviis, com-
porationibus, alendis famulis, canibus, equis &c.



DIES TERTIA.

MEDITATIO II.

De Amore Dei.
PRÆPARATIO.



Amor Dei finis Recollectionis nostræ, imo finis totius Creationis, Redemptionis, Sanctificationis, & omnium Dei Operum.

N 5

rum.

* Exod. 22.

rum. O quantum ergo interest, hanc unicam Meditationem bene peragi!

Igitur imaginare tibi, Timothee, te verba Dei audire, continuo clamantis: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.**

Et sane meretur Deus cor tuum, & totum amorem tuum

I. Propter te, quia prior te amavit infinite.

II. Propter se, quia in se ipso est infinite amabilis.

En duo Puncta ultimæ Meditationis, simul & duos fontes omnis Amoris; *amamus enim, qui nos amant*: & hic amor est æquus, & velut remuneratio amoris; amor enim compensari non potest, nisi amore, seu redamando.

Amamus præterea, imo non possumus non amare, quod est amabile: & hic amor est *necessarius*, & velut naturalis census cordis nostri.

Tu modo, Timothee, si unquam ardentius suspira; *Veni Sancte Spiritus: mentes tuorum visita: accende lumen sensibus: infunde amorem cordibus.*

PUN-

* Prov. 28:

PUNCTUM I.

*Deus meretur a nobis amari, quia
prior nos amavit.*

Verissime Seneca: *Vis, ut ameris? ama;* * *magnes enim, stimulus, & fomes amoris est amor.*

Hanc reciprocum ab homine amorem eliciendi regulam ipse Deus observavit: *Ipse prior dilexit nos.* **

Ergo Deus te prior amavit, Timothee? Ita est: Deus te *prior* amavit: amat, & vult æternum amare, ut ipsum vicissim ames.

Nosti autem ipsemet, quid hæc verba sibi velint: *Deus te amat.* Hoc volunt, quod Deus tibi velit bene: quod tibi *placere* quærat: quod tibi fatagat *blandiri*: quod allaboret te sibi *devincire*: quod ambiat te *lucrari*: quod studeat tibi *benefacere.* - *Deus tibi.* - *Deus te.* - -

Deus, inquam, in se ipso ab æterno in æternum infinite felix sine te, sine hominibus & Angelis - - hic Deus te *prior* amavit, antequam in rerum natura fueris, eum cognoscere, aut amare poteris. - -

* Ep. 8. ** Joan. 4.

eris. - - Et quidem amavit te sine ullo tuo merito - imo cum multis, magnisque demeritis, peccatis, & impietatibus tuis clarissime prævisis, innumeros in suo *Nihilo* relinquens Angelos & homines, quos te digniores, te fideliores fore præviderat. Non hos, sed *te prior amavit: - prior te amat.*

Quo autem, putas, amore? Audi, & obstupesce. Amavit te, amatque non solum speculativo, sterili, otioso, & infœcundo amore, sed activo, practico, fœcundo, beneficentissimo, & ex omni parte *infinito.*

Agedum: cum Apostolo in manus sume decempedam, & dimetire, *quæ sit longitudo, latitudo, & sublimitas, & profundum amoris erga te.* Profecto est *

I. *Infinitus in sua longitudine, quia in charitate perpetua dilexit te.* - Semper fuisti præsens in mente ** & corde Dei: nec momento citius, quam te, amavit te. Vult etiam deinceps te amare *in perpetuum*, non modo singulis vitæ tuæ momentis dona Naturæ & gratiæ benevole conservando, sed & gloriæ *æternæ.* En! *Amor & Misericordiæ Domini (erga te) ab æterno in æternum.* ***

II.

* Ephes. 3. ** Jerem. 31. *** Psal. 102.

II. *Infinitus in sua latitudine*, seu largitione tam naturalium, quam supernaturalium, sine numero & fine, donorum & gratiarum. Tui amore, si solus morienti simul toti generi humano super-
viveres, conservaret, uti modo conservat, Stellas, Lunam & Solem in Cælis, aves in aëre, pisces in aquis, feras in sylvis, aurum & argentum in montibus, vinum in collibus, fructus in agris & hortis: tibi speciatim, quæ innumeris non dedit, aut mature eripuit, conservat bona & dona *Nature*, sanitatem in corpore, vigorem in sensibus, potentias in anima &c. - -

Vides utique, quam *infinitus* sit in *latitudine* sua Amor Dei erga te. Amat te scl. omni tempore - - amat in omni loco - - in omni ætate, statu, & conditione tua - - in omni genere creaturarum, in omni. - - Verissime Augustinus: *Domine! omnia clamant, ut amem te.* Omnia.

III. *Infinitus in sublimitate*, seu sublimissimis operibus propter te a Deo patris, aut *donis supernaturalibus* tibi collatis, aut adhuc conferendis. - - Nunquid enim Filium suum Unigenitum, verum Deum de Deo vero, in mortem crudelissimam pro te dedit: *donum* utique

que *infinite*? - - Hic vitam & pretium Sanguinis sui pro te dedit, utique *infinite*? Sua tibi transcribit *Merita*, utique *infinite*? - - Suam tibi communicat *gratiam*, quæ *thesaurus* est *infinite*. Suam tibi præparat in Cælo *Gloriam*, *Bonum* utique *infinite*? - Se ipsum cum tota Divinitate & Humanitate sua dat in *Evcharistia*, *Donum* utique *divinum* ac *infinite* in *Sublimitate*? - -

IV. At *infinite* quoque erga te Dei Amor est *in profundo*, seu in rebus vilissimis, quæ Deus amore tui suscipit, & adhuc suscipit., * *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Humiliavit semetipsum usque ad mortem: mortem autem Crucis, mortem omnium vilissimam, turpissimam.*

Imo (qui supremus Amoris apex est) amore tui in *Evcharistia* sub speciebus ratione, sensu, & vitæ carentis creaturæ (panis) sese occultat, & sic Deus vere *absconditus* permanebit usque ad consummationem sæculi. **

Jam sic argumentor, *Timothee*. Beneficia etiam feræ sentiunt, nec ullum

* Ad Philipp. 2. ** Isa 45.

lum est tarr immanuetum animal, quod cura non mitiget, & in amorem sui vertat, verissime ait Seneca. Et nos ergo (quis enim ausit, vel possit aliam conclusionem facere?) nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos: * & dilexit nos amore secundum omnem dimensionem infinito.

Dicamus ergo cum S. Xaverio: *Satis est, Domine, satis est.* Satis est tui erga nos amoris, satis benevolentiae, satis beneficentiae. Satis est, & plusquam satis! - .

Verum enimvero licet Deus nos prior non dilexisset, nec boni aut gratiae quidquam nobis contulisset, tamen a nobis deberet super omnia amari; etenim

PUNCTUM II.

*Deus propter se meretur amari,
quia est in se infinite amabilis.*

HÆc est natura, indoles, ac ingenium cordis & voluntatis humanæ, ut necessario versetur circa bonum, adeoque amet, imo non possit non amare, quod revera bonum est, aut saltem
appa-

* Joan, 4.

apparet ut bonum : sive dein sit bonum honestum , ut artes , scientiæ , honores : sive sit bonum utile , ut opes , beneficia , quæstuosa officia : sive sit bonum delectabile , uti sunt pulchra , artificiosa , mirabilia ; pulchrum enim , & bonum omnia desiderant. *

Si jam scire cupis , Timothee , an , & quantum Deus propter se mereatur amari , prius cognoscere debes , an , quale , & quantum Deus sit Bonum in se ipso , nam ignoti nulla cupido , & nihil est volitum , nisi cognitum.

Quid ergo est Deus ? - - R. Nescio. Ipsa Dei Incarnata Sapiencia , Christus , dum a quodam bonus Magister appellabatur. ** Quid , aiebat , quid me (scilicet secundum Humanitatem utut perfectissimam) dicis bonum ? nemo bonus , nisi solus Deus. Nemo bonus , nemo amabilis , nemo , si cum Deo comparetur , bonus , nisi solus Deus , utpote qui solus ex se , ex sua Natura & essentia omne Bonum , h. e. omnes naturales , morales , & supernaturales Perfectiones , infinite possidet. ***

Quid

* S. Dion. Areop. ** Luc. 18.

*** V. Corn. a L. in Luc.

Quid ergo est Deus? - - R. Jam dixi, & dico millies: Nescio. Id si scirem, aut explicare possem, ipsemet deberem esse Deus. Ne nihil dicam, cum Doctore, gentium dico: * Deus est ille, ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia, simul bona, perfectiones & amabilitates omnium creaturarum, at in gradu infinite excellentiori.

O Timothee! Quam magnus ergo, quam bonus, quam pulcher, quam perfectus, quam amabilis debet esse Deus, qui tam grandia, tam bona, tam pulchra, tam perfecta, tam deliciosa & amabilia in Cælo in terra creavit sine numero & sine, sine mora, labore, resistantia, solo nutu, voluntate ac imperio? - - Nunc ad rem.

Deus *solus* non tantum *adjective*, sed, ut loquitur S. Thomas ** *substantive* est bonus & *omne bonum*: seu est ipsa *Bonitas*, h. e. fons, origo, & cumulus omnium Bonorum ac Perfectionum sine ulla admixtione mali, defectus, aut imperfectionis. - - -

Nega jam, Timothee, si potes. Nunquid *ob singulas* ex enumeratis perfectionibus, bonis, & qualitatibus amas, &

O

non

* Rom, II. ** In C. 33. Exodi,

non potes non amare *hominem*, et si conjunctas illis imperfectiones videas, & averferis in eo? e. g. amas in eo scientiam: at displicet tibi ejusdem superbia. Amas in illo liberalitatem: averfaris ejus jactantiam: & sic de aliis. - - -

Tuam fidem! Cur ergo *Deum* tuum non amas, qui possidet omnes *simul* perfectiones? & possidet in *gradu excellentissimo*? - - & possidet *sine ulla admixtione mali*, aut defectus? - - & modo possidet *infinito*? - - - Ubi ergo tua est fides? ubi ratio & intellectus? - - ubi voluntas tua, & cor humanum?

Itane vero aliud, quam *Deum*, amabis? nam sine omni amore neque tu vivere potes, nec ullus hominum. - - Quid amabis igitur extra *Deum*? quid amore tuo dignum quæres? - - An Bonitatem? - - Hæc in *solo Deo* est *sine malitia*. Pulchritudinem? - - Hæc in *solo Deo* est *sine macula*: Scientiam? - - Hæc in *solo Deo* est *sine errore*. Delectationem? - - Hæc in *solo Deo* est *sine dolore*. Felicitatem? - - Hæc in *solo Deo* est *sine miseria*.

Et tamen hunc *Deum*, hunc omnium omnino Perfectionum sine ulla admixta imperfectione cumulum, non amas super omnia? non amabis?

Ita

Ita est: non amas. - - Amas vero cre-
 aturas plane imperfectissimas. - - Amas
 socios etiam malos. - Amas *divitias* utut
 fluxas: *honores* utut vanos: *voluptates* ut-
 ut mendaces, utinam non fœdas quoque. -
 Amas *hostes* tuos juratissimos, carnem &
 sensus tuos. - - Amas *te ipsum*. - ita est:
 te ipsum amas tenerrime, amas vehe-
 mentissime, ad insaniam usque amas te,
 licet imperfectionibus, forte & pecca-
 tis, undique scatentem.

At Deum (quis credat?) Deum non
 amas, Bonum unicum - summum - pu-
 rissimum - infinitum - bonorum omnium
 mare & fontem inexhaustum non amas.

Obstupescite Celi super hoc, & portæ ejus
 desolamini! * Audiatur terra, & contremi-
 scat! Amor non amatur, ingemiscit S. Ja-
 cobonus. - - Amor amoris non amatur, con-
 queritur S. Magdalena de Pazzis. - - Amor
 omnis amoris non amatur, flens ejulat S.
 Bernardus.

Miserum te sane, o mi Deus! - - (ig-
 nosces autem, Domine, si pro affectu
 in te meo libere jam loquar) Miserum
 te, inquam: o Deus! - Prodiges in cre-
 aturas nostrum dividimus amorem: vix
 scintillam tibi reservamus. Amatur in-
 fans, qui nihil est, nisi pus & pugillus
 O 2 pul-

* Jerem. 2.

pulveris. - Rustica non est ancilla, stabularia non est, quæ suum non habeat, aut reperiat amasium.

Licetne ultra loqui Domine, totam uno halitu veritatem edicere? - - - -
Non est avicula, non est felis, non canis, aut equus, qui suum non habeant amatorem. - At, at (heu! pudet veritatem fateri) *Amor non amatur. - - Amor amoris non amatur. - Amor omnis amoris non amatur. - -*

Utique *olim* S. Franciscus Seraph. aliud non amabat, aliud non loquebatur, non cogitabat aliud, quam *Deus meus, & omnia!*

Utique *olim* Beatus ejusdem Socius Ægidius pro tessera utebatur unice: *Unum uni: unum cor uni Deo!*

Utique *olim* S. Franciscus de Paula ex solo stellarum, florum, aliarumque creaturarum aspectu in tantum Dei Creatoris amorem exarsit, ut manum frigidæ immergens, ocyus istam ebullire fecerit, extinctam vero candelam solo digiti sui calore accenderit.

Utique *olim* S. Franciscus Salesius ob divini amoris vehementiam de vita periclitatus Deum rogare debuit, ut incendia illa sisteret, atque æternitati reservaret.

Uti-

Utrique *olim* S. Stanislaus Kostka etiam in hyeme pannis aqua frigefactis, Magnus vero Indiarum Apostolus Xaverius cum S. Petro de Alcantara refrigeratione aëris, diducta a pectore toga, indigebant, ne cor amore Dei exæstuans conflagraret, aut suffocaretur.

Utrique *olim* S. Philippus Nerijs tanto Dei amore inflammatus erat, ut sæpius exclamaret: *Num fieri potest, ut, qui in Deum credit, aliud amet, præter Deum?* Conversus denique ad Deum: *O Deus, ajebat, quia adeo amabilis es, & ita ardentè desideras a nobis amari, cur unum duntaxat cor nobis dedisti? & quidem cor adeo parvum, & angustum? - - Cæterum iste Sanctus die Pentecostes tam immenso amoris divini æstu, exarsit, ut præ vehementia, nimiumque violento cordis motu costa circa pectus Sancti rumpere-tur, certo morituri, nisi Deus per miraculum vitam conservasset.*

Utrique *olim* S. Virgo Melania post univnicam de infinita Dei amabilitate meditationem adeo in Ejus amorem incaluit, ut una manu accensam facem, altera hydriam aqua refertam tenens in plateam lymphatæ similis procurrerit, causamque facti rogata responderit: *Hac face cuperem Cælum comburere: isthac*

Q 3

vero

vero aqua infernum extinguere, ut Deum nec metu inferni, nec spe Cæli, sed purissime ob infinitam Ejus amabilitatem deinceps amare cogerentur homines.

Ita olim Sancti in terris. Ita olim, inquam. - - At quid modo? quid hodie fit? Heu monstra rerum! Nunc, nunc Amor non amatur. Nunc amor amoris non amatur. - Nunc amor omnis amoris non amatur.

Imo opus est severo Dei præcepto, ut eum diligamus, a cujus amore poteramus, imo debebamus nos subtrahere, aut ex mera reverentia excusare. Ast non sufficit nobis præceptum. Opus est, ut se diligentibus æterna promittat præmia & gaudia. Neque tamen ista præceptum ejus amorem a nobis evincunt. Opus est sempiterna minitari supplicia, & infernales rogos, nisi ipsum diligamus. Sed nec ista Dei amorem a nobis possunt extorquere. - - Superi, inferique! Ad hæc ultra quid dicam, cogitemque?

Stupore non minus, quam rubore plenus dicebat Augustinus: *Quid tibi sum, Domine, ut amari te jubeas a me, & nisi faciam, irasceris mihi, & miniteris ingentes miserias?* - parvane miseria est, si non amem te.*

Ego

* L. I. Conf. c. 20.

○ Ego autem, cum neque ista Augu-
 tini verba & admiratio, neque alia verba
 satis exprimant portentum nostræ erga
 Deum amandum duritiei ac insensibili-
 tatis, rem totam paucis, at verissimis
 Guilielmi Parisiensis verbis concludo, &
 absolvo: *Homo, ait homo tot congestis car-
 bonibus (quot scl. Dei Perfectionibus &
 Beneficiis) miraculo diabolico friget ad
 Deum. - friget miraculo, sed diabolico.*

Ita enim vero est, mi Timothee: ac
 ita esse, ex energumena fateri debuit
 per altio rem vim, sacrosque Ecclesiæ ex-
 orcismos coactus dæmon; adjuratus
 enim, ut nomen suum ediceret, ejulans
 & irrugiens exclamavit: *Ego sum nequam,
 qui caret omni amore Dei.* Quid tunc præ-
 sens cum audiret S. Catharina Senensis:
 O, ajebat, *o inferne omnium infernorum!
 carere omni amore Dei! - O inferne omnium
 infernorum!*

Ita est, o mi Deus: ita omnino est.
 Non potest non fascino, & infernale
 quidem, ac diabolicum in hoc latere
 fascino, quod alia omnia possimus a-
 mare, & amemus, etiam ardenter, præ-
 ter te solum, o Deus! - - Amamus no-
 stros parentes, quia nos genuerunt: Ma-
 gistros, quia nos instruxerunt: Medicos,

quia nos sanarunt : Mecænates , quia nobis benefecerunt. . . .

Plus dico. Amamus equum , quia nobis est commodus : canem , quia fidelis : quodvis jumentum , quia nobis est utile. . . .

Plus dico. Amamus animam , & sensu carentia : Musicam & recreationes , quia nobis jucundas : vestes , quia nos tegunt , & protegunt : ignem , quia nos calefacit : Solem & stellas , quia nos illuminat : terram , quia nos sustentat : panem , quia nos enutrit. . .

Quid ultra? . . Nihil ultra , Timothee , nisi hoc unum. Amamus , quidquid non est Deus. Solus amor non amatur. Solus amor amoris non amatur. Solus amor omnis amoris non amatur?

Vah monstrum hominis , Deum , amorem ipsum , non amantis ! Monstrum horrendum , infame , ingens ! imo monstrum , omnium etiam infernalium monstrorum longe monstrosissimum !

Equidem cor humanum potest odio resistere , non item amori. Non possumus non amare nos *amantem* , nobis *benefacientem* , nobis *vere* , imo solum *apparenter amabilem* : te solum , o Deus , o unicum , o purissimum , o perfectissimum , o summum , o infinitum Bonum , o Amato-

matorem nostrum & Benefactorem maximum, te ajo, solum non amamus: nolimus non amare: possumus non amare: imo aliqui non possunt amare, non possunt.

O plus quam millies diabolicam fascinationem! Ea nisi tu, o Deus, ipsemet nos liberes, actum est eheu! de nostro erga te amore: actum est de salute nostra; etenim non datur medium: aut hic uri debemus suavibus amoris divini flammis: aut ibi æternis orci ignibus misere exuri.

Quid tu velis, Timothee, hic stans delibera. Ego quidem pro me locum de liberandi non amplius invenio. Adeo evidenter meretur Deus amari a me.

I. *Meretur propter me, quia prior dilexit me.*

II. *Meretur propter se, quia in se ipso infinite amabilis est.*

Si mecum sentis, Timothee, ut haud dubie sentis, sine mora ad pedes JESU, amore tui Crucifixi, te mecum abiice, & coram Cælo, terra & orco cum Duce tuo S. Patre Ignatio tuum Dei amorem contestare:

Affectus.

O Deus! ego amo te:
 Nam prior tu amasti me.
 En! libertate privo me,
 Ut sponte vinctus sequar te.
 Nil suggerat memoria
 Nisi de tua gloria.
 Nil intellectus sapiat,
 Præterquam ut te capiat.
 Protestor, nil velle me,
 Nisi quod sciam velle te.
 Quæ dono tuo mea sunt,
 Hæc dono meo tua sunt:
 A te accepi, recipe:
 Quid iis velis, præcipe:
 Guberna, sicut scis, & vis;
 Nam scio, quod Amator sis.
 Amore solo, ah! Amore solo dona
 me,

Ut ego quoque amem te
 Et vigil, & per somnia:
 Hæc dando dabis omnia. Amen.

Ad hoc obtinendum dicamus devote
Pater & Ave: & Confirma, o Deus &c.
Timothee! pro æterno Memoriali addo,
 ut sæpius recolas, sententiam **S. Pauli**
I. ad Corinth. 16.

Si quis non amat D. N. JESUM Chri-
stum, sit anathema.

Si

Si jam nosse cupis *Motiva & Gradus*
Amoris Dei?

En breve utrorumque compendium.

Deum amare.

1. Quia te creavit, observantia est naturalis, & filialis.
2. Quia te redemit, obligatio est servilis.
3. Quia Cælum promittit, lucrum est gloriosum.
4. Quia prior te amavit, gratitudo est necessaria.
5. Quia tibi bonus est, benevolentia justa est.
6. Quia est, qui est, scilicet *Bonum super omne bonum*: hæc subtilitas, perfectio, & summus apex Amoris est, in se uno complectens omnes titulos & nomina *Observantiæ, Obligationis, Lucri, Grati- tudinis, Benevolentia, & Respectus.*

Præterea accipe pro memoria

I. Regulas Amoris.

1. Amare, a quo non possis amari, erroris est.
2. Amare, a quo possis non amari, periculi est.
3. Amare, a quo non possis non amari, felicitatis est.

Ergo

Ergo habebis.

*Errorem in amore temporalium:
Periculum in amore hominum:
Felicitem in amore Dei.*

II. *Modum amandi Deum.*

Eum clare præscribit Christus Luc. 10. in hæc verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex corde*, quia *Esse* corporeum tibi dedit: *ex tota anima*, qui per eam tibi dedit *vivere*: *ex omnibus viribus*, quia dedit *sensus & omnes facultates*: *ex tota mente*, quia *hanc* cum *Intellectu* tibi ore suo inspiravit. Ita V. P. Lud. de Pont. Lege ex Thom. Kemp. L. 2. c. 7.

Monita

De Necessitate & Modo

Conservandi Fructum Recollectionis.

Mon. I. Ad salutem nostram absolute necessaria est *perseverantia* in beneceptis. Ita docent 1. Patres: *In Christianis non queruntur initia, sed finis.* Hieron. loco omnium. 2. Christus clarissime: * *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hic, & nemo alius.* 3. Exempla. Bene cæperunt Angeli, Saul, Judas

* Matth. 29.

Judas proditor, Origenes, Tertullianus, Hosius Cardinalis, Palladius, Rufinus: Didymus, Evagrius, & mille alii, etiam Sacerdotes: at finierunt pessime. Idem nisi in bono perseverares, tibi contingeret, Timothee, & dum alios salvares, tumet perires similis fabricatoribus Arcae Noe, qui aliis, ubi evaderent, praestiterunt: & ipsi diluvio perierunt. *

Mon. II. Relapsus in peccata gravia difficiliorem ex omni parte reddit salutem. 1. mo Ex parte demonis, ** qui post poenitentiam teste Evangelio assumit secum septem alios spiritus nequiores se; & sunt novissima hominis illius pejora prioribus. 2. do Ex parte hominis: nam secundum omnes Chirurgos & Medicos peior est morbo recidiva morbi: quia scl. per recidivam in aegro diminuuntur vires resistendi morbo: crescit contra vis morbi: medicina suam perdit vim & efficaciam, Medicus suam spem. 3. tio Ex parte Dei, opportunas merito negantis gratias peccatori, quibus per relapsum insolentissime abutitur, hinc breviter, at eximie S. Bernardus: Timeas quidem pro gratia accepta: amplius pro amissa: longe

* S. Aug. Serm. 6. de Epiph. ** Matth. 12.

longe plus pro recuperata, ne forte contingat recidivam pati.

Mon. III. Esto igitur fidelis, Timothee, & constans in bene cœptis usque ad mortem: * & dabit tibi Deus coronam gloriae; fidelis in exequendis, quæ sine dubio in hac Recollectione fecisti, propositis: esto, inquam, fidelis Deo, proximo, & tibi met ipsi. Et Primo quidem Deo 1.º in Servitio divino, & ante omnia in rite peragendis *Missæ Sacrificiis*, memor, quod Dei-Hominis Personam ibi agas, non tuam, hinc iterum, iterumque per Dei honorem, tuamque salutem te obtestor, ut saltem per spatium unius *Pater & Ave* (minus cum honore nec ego ausim & possim petere, nec tu facere) ut, inquam, saltem per spatium unius *Pater & Ave* in templo aut Sacrificia *flectens* te colligas, & præpares ad tremendum hoc Sacrificium, & post illud per aliquot *Pater & Ave* Deo tuo *grates* agas. Uti que tantillum tantus meretur Deus pro tanto Beneficio? 2.º Esto fidelis Deo in oratione *vocali*, & *mentali*. In *vocali*, Horis præsertim *Canonicis*, cogita, Dei laudem esse. Lauda ergo eum fideliter in terris, si eundem vis æternum laudare in Cælis.

In

* Apoc. 3.

In *mentali*, seu quotidiana & brevi Meditatione quæ oratio præ vocali est longe acceptior Deo, tibi utilior, & a distractionibus remotior. Experieris brevi cum Davide: * *In Meditatione mea exardescet ignis.* Sine hac frustra esset tota Recollectio tua, frustra essent omnia; nam *desolatione desolata est omnis terra, quia nemo est, qui recogitet corde, suas nimirum obligationes, suos defectus, suam animam, sua pericula, Cælum, & Deum.* **

Esto denique *fidelis Deo* in quotidiano, utut brevi, *examine nocturno* juxta monitum Dei: *** *Interroga te ipsum: & in conspectu Dei invenies propitiationem.*

Secundo. Esto *fidelis proximo tuo*, illumque, præsertim si Curam animarum habes, juxta gravissimam & ineluctabilem tuam obligationem *pasce.* *Pasce oves: pasce agnos, & maxime Agnellos.* *Pasce utrosque verbo diligenter: bono exemplo constanter: Sacramentis ferventer: secus ipse impius quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua Deus requiret: animam pro anima: animam pro anima.*

Tertio denique esto *fidelis tibi met ipsi;* quid enim prodest homini, si mundum uni-
ver-

* Psal. 38. ** Jerem. 12. *** Ecoli, 18.

versum lucretur, animæ vero suæ detrimen-
tum patiatur? - * Igitur præter jam com-
mendatam erga Deum in orationibus vo-
cali & mentali fidelitatem

I. Fideliter singulis diebus saltem aliquid
utut breve, ex Libro quodam spirituali
lege: & senties, quod omnis Scriptura di-
vinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad
arguendum, ad corripiendum: **

Videlicet utilis ad docendum ea, quæ
vel non intelligis, vel intellecta iterum
oblitus fueras. Ad arguendum tuam in
Dei servitio somnolentiam. Ad corri-
piendum, si denuo in Dei timore insen-
sibilis fias.

Et sane hanc insensibilitatem Libri spi-
rituales certius tollent, quam Conciona-
tores, aut Confessarii; hi enim vel non
semper ad manus sunt, vel ex respectu
humano non audent te semper corripere:
semper autem ad manus sunt Libri,
& semper audent corripere, quia mortui
Concionatores & Monitores extra reli-
& omnis metus jactum jam positi.
O quot milleni per piam lectionem, im-
provifam quoque aut fortuitam, conversi
sunt ad fidem, ad frugem, ad sanctita-
tem, ut Eynuchus Reginæ Candacis, S.
Antonius Abbas, S. Augustinus per Tol-
le,

* Matth. 16. ** 2. Tim. 3.

le, *Lege*, S. Columbinus, S. Franciscus Seraphicus, S. Ignatius Loyola, S. Theresia &c. Nimirum malæ cogitationes, ut Zizania, se ipsis crescunt: bonæ autem non nisi ex semine lectionis piæ.

II. *Fideliter per Hebdomadem semel*, si fieri possit: aut saltem *bis in Mense* sacram Confessionem perage, ut vel sanctior fias, vel ne fias deterior: quod ultimum ex omiſſa longius Confessione amat fieri.

Et nunquid Missa, quam legis quotidie, hanc animæ puritatem sola meretur? Ita sane judicarunt sanctissimi Virorum, S. Carolus Borom. S. Franciscus Borg. B. Ludovicus Bertrandus, qui ante celebrationem Missæ *quotidie* conscientiam S. Confessione expiarunt.

III. *Fideliter in Mense saltem semel* horulæ quadrantem selige ad inspiciendum animæ tuæ statum, an in virtute profeceris, aut defeceris? & *quare*? Tempus omnia carpit, vel atterit, nitorem vestium, splendorem auri & argenti; hinc omnia *renovatione* indigent. Ipse adeo fervor ignis tepescit sine nutrimento: ferrum candens indureſcit extra fornacem. Idem prorsus contingit nostro spiritui.

IV. *Fideliter saltem semel in anno* e. g. sub finem anni, *diem a negotiis vacu-*

P

um

um elige ad faciendam animi & spiritus Recollectionem juxta monitum S. Petri Chrysol. * *Dedimus corpori annum: demus animæ dies, aut saltem diem. Impendimus tempora nobis: deputemus tempus Authori. Vivamus Deo paulum, qui seculo viximus totum. Seponamus domesticas curas.*

En plane in compendio *finem, modum, & motiva* instituendi quot annis Recollectionem saltem *unius diei*, aut, si *ma- vis*, plurium dierum, sive *domi tuæ*, sive in *domo quadam Religiosa*: uti instituunt omnes fere Religiosi Ordines, multa Ecclesiasticorum & Sæcularium millia in orbe christiano, ad sacros Ordines promovendi in omnibus prope *Dicæcesibus*. Ah! cui non sufficiant tot, tantaque exempla?

Nunquid pariter per sacram aliquot dierum solitudinem Sara *ad nuptias* cum Tobia, Judith *ad certamen* cum Holoferne, B. ma Virgo *ad Conceptionem Christi*, Apostoli *ad recipiendum Spiritum Sanctum* sese præpararunt, & ipse Dei Filius in deserto per 40. dies *ad prædicandum*?

Quid? quod Rex David testetur de se: ** *Ecce! elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Hoc est, mansi in solitudine*
came-

• Serm. 12. •• Psal. 45.

camera & palatii, elongatus a negotiis,
ait S. Vincentius Ferrerius.

Ita David Rex, utut plurimis & ma-
ximis Regni negotiis obrutus. Et tu
non possis? tu non velis, Timothee?

Denique, ne post Recollectionem in
antiqua, aut nova labaris peccata *gravia*,
fuge (per Deum & salutem tuam) ma-
nibus, pedibusque fuge fugienda, &
fatalia tibi *pericula*, praesertim *proxima*:
* nam qui amat periculum, in illo peribit:
certissime peribit, ita Deus. Facula seu
fax est cor nostrum, etiam extincta fu-
mat adhuc, vel levissimum adde affla-
tum, aut igniculum, mox tota ardebit
rursum. Repeto igitur cum pio Asceta:

*Degusta vinum modice ob vitandum
scandalum.*


*Age cum feminis Angelice ob caven-
dum periculum.*

*Tracta pecuniam caute ob fugiendum
vitium.*

Hoc fac, & vives, Timothee: & vi-
ves aeternum felix, quod devotissimo
ex animo tibi precor, meque in jugem
ad aras memoriam (vices spondeo) quam
humillime iterum commendo, iterum-
que.

P 2

AP-



APPENDIX,

SEU

Succinctum Memoræ Adjumen-
tum de præcipuis Recollectionis nostræ
Materiis, Functionibus, & Obliga-
tionibus Ven. Cleri. ex P. Tob.
Lohner Instruct.

I. Prærequisita, ad statum Clericalem.

Pura Intentio

Ad augendum meritum.

Studiosa Operatio

Ad implendum Officium.

Generosa Resignatio

Ad tranquillandum (in adversis) animum.

II. Triplex Finis.

Dei honorem quærere,

Ut magis dilatetur.

Se ipsum non negligere,

Ut anima salvetur.

Et proximum perficere,

Ut charitas servetur.

III. Vocationis sit

Magna æstimatio

Propter Dignitatis eminentiam.

Perfecta cognitio

Propter muneris exigentiam.

Studiosa executio

Propter præmii excellentiam.

IV.

**IV. Media præcipua**

Studium Orationis avidum

Ad obtinendam gratiam.

Studium Mortificationis assiduum

Ad purificandam conscientiam.

Studium Humilitatis necessarium

Ad cavendam vanam gloriam.]

V. Meditatio sit

Præparata optime

Ad congruum affectum.

Absoluta integre

Ad solidum profectum.

Ordinata practice

Ad plurimum effectum.

VI. De Missa. - Adsit

Ante Missam summa Animæ Purificatio

Ob Sacrificii excellentiam.

Sub Missa ingens cordis devotio

Ob Numinis præsentiam.

Post Missam debita gratiarum actio

Ob beneficii præstantiam.

VII. Oratio vocalis

Sit humilis ac reverens

Quoad corporis dispositionem.

Sit prudens atque diligens

Quoad mentis attentionem.

Sit ardens atque permanens

Quoad affectus intensiorem.

VIII. *De Examine nocturno.*

Somni quietem excipe

Ut brevi moriturus.

Arcana mentis discute

Ut Judicem passurus.

Dei favores recole

*Ut plures percepturus.*IX. *De Concione.*

Apposita sit, & solida

Quoad materiae inventionem.

Excocta bene, & fervida

Quoad formæ dispositionem.

Decore multo prædita

*Quoad ipsam elocutionem.*X. *De Catechesi.*

Hanc magni semper æstima,

Ut par est æstimari.

Sæpe tuis deprædica,

Ut par est commendari.

Summo fervore explica,

*Ut par est observari.*XI. *De Moribus & Vita.*

Sit sancta conversatio,

Ut Clericus puteris.

Æqualis sit dilectio,

Ut nullum asperneris.

Sit suavis allocutio,

Ut plurimos lucreris.

XII.

XII. Confessarius observet

Exactam audientiam
De peccatis admissis.
 Severam reticentiam
De secretis commissis.
 Discretam pœnitentiam
De delictis remissis.

**XIII. In Sacramentorum Servan-
 da Administratione.**

1. *De Baptismo Erga Infantes.*
 Matrum pelle malitiam,
Ut recte generentur.
 Omnem gere industriam,
Ut rite baptizentur.
 Gravem tolle socordiam,
Ut sancte educentur.
2. *De Confirmatione. Erga Juvenes.*
 Hos tempestive admone,
Ut cito confirmentur.
 Parentum curam acue,
Ut pie educentur.
 Omnem conatum adhibe,
Ut recte informentur.
3. *De Eucharistia. Requiritur*
 Honesta asservatio,
Ut semper habeatur.
 Zelosa exhortatio,
Ut sepius sumatur.
 Fidelis distributio
Ut Lex adimpleatur.

4. De Pœnitentiâ dictum supra.

5. De extrema Unctiōe, seu ægris.

Visita ægros velociter

Pro tua obligatione.

Alloquere suaviter

Pro eorum consolatione.

Horrare efficaciter

Pro eorum confortatione.

Fac, ut discedant libere

Post facta testamenta.

Ut disponantur optime

Per sumpta Sacramenta.

Ut muniantur valide

Contra stygis tentamenta.

6. Ordinis Eccl. Instrumenta.

Sufficiens scientia

Ad munus adimplendum.

Major longe Prudentia

Ad recte procedendum.

Et summa Sanctimonia

Ad fructum faciendum.

7. De Matrimonio.

Conjuges hortare,

Ut inter se concordiam,

Et fidem arcte seruent.

Cum vicinis discordiam

Vel minimam devitent.

Sponfos hortare,

Ut contrahant legitime

Ad damnum evitandum.

Ut



Ut fidem seruent integre

Ad crimen declinandum.

Ut copulentur licite

Ad Deum honorandum.

XIV. Pericula vitanda.

Degusta vinum modice

Ob vitandum scandalum.

Tracta pecuniam caute

Ob fugiendum vitium.

Age cum feminis Angelice

Ob cavendum periculum.

Hinc rara sit aspectio

Propter castimoniæ conservationem.

Brevissima collocutio

Propter publicam ædificationem.

Cautissima conversatio

Propter lapsus devitationem.





INDEX
MEDITATIONUM
 &
CONSIDERATIONUM.

Meditatio Præparatoria.

DE Fine cujuslibet Hominis. Pag. 8.

DIES PRIMA.

De generalibus Mediis & Obstaculis
nostræ Salutis.

MEDITATIO I.

De Beneficio & fine Vocationis ad
Statum Sacerdotalem. - - - 18.

CONSIDERATIO.

De Religione, seu Obligationibus
Clerici erga Deum. - -

1.



- Pag.
1. Quoad Orationem mentalem. 32.
2. Quoad Missæ Sacrificium. - 41.

MEDITATIO II.

De gravitate Peccati mortalis

1. Ex Pœnis desumpta. - - 52.
2. Ex natura ejus, & Circumstantiis. - - - 56.

CONSIDERATIO.

De Religione Deo debita
seu

1. De Horis Canonicis. - 68.
2. De Precibus nocturnis. - 72.

DIES SECUNDA.

De particularibus Salutis nostræ Mediis. - - -

MEDITATIO I.

De Morte.

1. In se certissima. - 76.
2. In suis circumstantiis incertissima. - - 77.
3. Ordinarie tali, qualis fuit vita. - - - 81.

CONSIDERATIO.

De Obligationibus Pastoris Animarum. - - -

De

| | Pag. |
|-------------------------------|------|
| De Obligatione pascendi - | |
| 1. Adultos per Conciones. - | 94. |
| 2. Parvulos per Catecheses. | 98. |
| 3. Oviculas per bona Exempla, | 102. |
| Et Administrationem Sacra- | |
| mentorum. - - | 105. |

MEDITATIO II.

De Judicio Universali ac terribili

| | |
|--------------------------|------|
| 1. Ob Judicem omniscium, | 120. |
| 2. Et æquissimum. - - - | 125. |

DIES III.

De Reditu Animæ ad Deum.

MEDITATIO I.


De Lapsu, & Pœnitentia Petri Ap.

| | |
|--------------------------------|------|
| 1. Labitur gravissime. - - | 140. |
| 2. Surgit velocissime. - - | 148. |
| 3. Convertitur perfectissime. | 150. |
| 4. Recipitur a Deo suavissime. | 154. |

CONSIDERATIO.

De Obligationibus Clerici erga seipsum: vitandi scilicet

| | |
|---|------|
| 1. Tepiditatem. - | 164. |
| 2. Peccata venialia plene delib- | |
| berata. - - | 168. |
| 3. Tres præcipuos Innocentiæ | |
| Clericalis scopulos: <i>Ebrietatem,</i> | 176. |
| <i>Cum</i> | |



235

Pag.

*Cum feminis Familiaritatem,
Avaritiam & Lusum immodera-
tum.* - - -

180.

195.

MEDITATIO II.

De Amore Dei, Deus mere-
tur amari.

- 1. Propter nos. - - 201.
- 2. Propter seipsum. - 205.

Monita.

Ad conservandum Recollecti-
onis fructum. - - 218.


APPENDIX.


seu


Compendium totius Opusculi. 226.

O. A. M. D. G.









ZECH
VIA
TRIUM
DIERUM

Th
4523